De iteratis apud poetas antiquae et mediae comoediae Atticae.

DISSERTATION

zur Erlangung der Doktorwürde

bei der philosophischen Fakultät

der Grossherzoglich Hessischen Ludwigs-Universität zu Giessen

eingereicht von

SIEGFRIED KANN

aus Giessen.

Giessen 1909.

von Münchow'sche Hof- und Universitäts-Druckerei Otto Kindt.

De iteratis apud poetas antiquae et mediae comoediae Atticae.

DISSERTATION

zur Erlangung der Doktorwürde

bei der philosophischen Fakultät

der Grossherzoglich Hessischen Ludwigs-Universität zu Giessen

eingereicht von

SIEGFRIED KANN

aus Giessen.

Giessen 1909.

von Münchow'sche Hof- und Universitäts-Druckerei Otto Kindt.

Genehmigt durch das Prüfungskollegium
am 10. VI. 1909.
Referent: Dr. Koerte.

Meinen Eltern.

οἱ μὲν ποιηταὶ λῆρός εἰσιν. οὐδὲ ἓν
καινὸν γὰρ εὑρίσκουσιν, ἀλλὰ μεταφέρει
ἕκαστος αὐτῶν ταὔτ' ἄνω τε καὶ κάτω.

His verbis Xenarchus mediae comoediae poeta (Kock Fr. C. A. II, 470, fr. 7, 1—3) comicos sive vituperat, quod eadem argumenta iterum atque iterum tractent, sive furti accusat. Antiquae quoque comoediae poetae saepissime invehuntur in collegas quasi in fures: Lysippus comicus se non ut alii recoquere ficta ab aliis in fr. 4: οὐδ' ἀνακνάψας καὶ θειώσας τὰς ἀλλοτρίας ἐπινοίας [1]) dicit. Item Aristophanes aemulum aliquem criminatur ex una sua fabula tres fecisse in fr. 54:

ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν.

Accedunt loci, quibus Cratinus Eupolis Aristophanes aliique per nomen citantes aequalibus obtrectant. Spectat deinde huc locus Vitruvii VI praef. 3 (Chionides fr. 9): „.... non minus poetae, qui antiquas comoedias Graece scripserunt, easdem sententias versibus in scena pronuntiaverunt ut ... Chionides, Aristophanes, maxime etiam cum his Alexis.“ Itaque cum tantus sit numerus querellarum obtrectationum indiciorum, nemo erit, qui haec omnia sive inscitia sive malitia ficta esse dicat; immo animus pellicitur ad hanc rem ex Xenarchi verbis perquirendam.

Duae quaestionis partes nobis offeruntur, quaenam ex suis repetiverint et quae ex aliorum fabulis in usum suum converterint auctores. Respiciam autem in hac qui-

[1]) ex parabasi, in qua aemulorum iniurias propulsaverit, haec petita esse recte monuit Meinekius.

dem dissertatione solum antiquae et mediae comoediae poetas, novam secundis curis relinquam. Quanta sit difficultas huius rei plane cognoscendae, haud ignoro et ob id nonnulla, quae huc pertinent, praemitto. Primum hoc molestum est, quod maxima materiei pars nonnisi reliquiis parvulis in cognitionem nostram venit. De permultis, quas habemus eiusdem tituli fabulas, coniecturas solum, non certa iudicia facere possumus, si non testimoniis vel fragmentis servatis res illustratur. Facile in eo accidit, ut plura coniciamus, quam liceat, putantes fabulas duas eiusdem tituli argumenta quoque communia habere, quoad fragmento novo vel testimonio adhuc ignoto nos errasse monstretur, altera ex parte, nisi haec duo adiuvant, nos latere interdum fabulas diversis titulis inscriptas idem habuisse argumentum pro certo habeo. Deinde plane ignoramus, num singula in duabus fabulis iterata sint, num fortasse idem iocus exenteratus sit, ut Aristophanis fabulas servatas omittamus, quas postea in iudicium vocabimus. Quaestio etiam eo impeditur, quod saepe nobis est dubitandum, quatenus auctori, qui fragmenta memoriae prodit, sive de testimonio furti ipso sive de poetae nomine addito confidere possimus. Saepius in commentario nostro occurret haec de auctoris nomine disputatio. Ob hanc rem facile fieri potuit, ut idem fragmentum vel eadem fabula compluribus poetis adscriberetur, quamquam unicus eius auctor esset. Accedit etiam aliud. Distinguenda enim nobis sunt et ea, quibus sive complures sive idem rursus uti potuerunt quaeque tamen in numero iteratorum non habenda sunt, et ea, quae iterata iudicamus. Horum omnium in dissertatione nobis rationem esse habendam considerantes rem ipsam aggrediamur.

I.

Epicharmus quasi dux comoediae Atticae.

Priusquam de comoedia Attica ipsa disseram, nonnulla de iis, quae apud Epicharmum, poetam Siculum, iterata reperi, praemittam. Hoc consilium cepi dissertatione Arnoldi de Salis[1]) lecta, qui poetas Atticos Epicharmi aemulos fuisse evidenter nos docet. Nostra igitur intererit comperire, num Epicharmus quoque quasi dux comoediae Atticae sua repetere non dubitaverit; quod eum fecisse compluribus ex locis apparet. Athenaeus IV, 139b tradit: Επίχαρμος . . . ἐν 'Ελπίδι φησίν·

ἐκάλεσε γάρ τύ τις
ἐπ' αἶκλον ἀέκων· τὺ δὲ ἑκὼν ᾤχεο τρέχων.

τὰ αὐτὰ εἴρηκε καὶ ἐν Περιάλλῳ (Kaibel C. Gr. Fr. I fr. 37 et 110). Non apta sunt verba Kaibelii cunctantis: „incertum num eisdem plane verbis in utraque fabula poeta usus sit“ (p. 111). Ut compluribus ex locis posterioribus cognoscemus, haec Athenaei verba τὰ αὐτὰ εἴρηκε significant: ‚iisdem verbis explanavit‘; Epicharmus igitur nonnullos versus ex altera fabula in alteram sine dubitatione translulit. — Exemplum imitationis insigne, cui nullum totius comoediae Atticae comparabile est, praebent Epicharmi ludi Ἥβας γάμος et Μοῦσαι. Athenaeus ad has III, 110b adnotat: 'Επίχαρμος ἐν Ἥβας γάμῳ κἀν Μούσαις· τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα διασκευή ἐστι τοῦ προκειμένου; et ex multis reliquiis cognosci potest, quomodo poeta

[1]) De Doriensium ludorum in comoedia Attica vestigiis. Basileae 1905.

in transferendo egerit. Athenaeus enim III, 85c—e undecim versus — quos adferre longum est — excerpit ... παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐν Ἥβας γάμῳ εὑρίσκω ... (fr. 42). ἐν δὲ Μούσαις γράφεται ἀντὶ τοῦ

v. 8 κόγχος, ἅπερ κογχοθηρᾶν παισίν ἐστ' ἰσωνία

κόγχος, ἂν τέλλιν καλέομες· ἐστὶ δ' ἅδιστον κρέας.

Decem igitur versus immutatos iterum scripsit, unum totius eclogae mutavit. Praeter hos decem versus etiam alii non mutati ex illa in hanc fluxerunt fabulam. Fragmentum trium versuum (44) ex Ἥβας γάμῳ sumptum testatur Ath. VII, 282a et 308e, sed ex 307b elucet versum medium in Musis quoque legi. Num versus primus et tertius huius quoque fabulae fuerint, perspici non potest. Poetam in editione altera ordinem verborum immutasse apparet ex fr. 49

σκορπίοι τε ποικίλοι σαῦροί τε, γλαῦκοι πίονες

ex Ἥβας γάμος, quae verba sunt in Musis

fr. 50 σκορπίοι τε ποικίλοι γλαῦκοί τε, σαῦροι πίονες,

vel verbum quoddam abiecit, aliud eiusdem significationis praetulit; cfr. fr. 47. Ath. VII, 319b 'Ε. δέ φησιν·

κομαρίδας δὲ καὶ κύνας κέστρας τε πέρκας τ' αἰόλας

et ibid. litt. c πέρκη· καὶ ταύτης 'Ε. ἐν Ἥβας γάμῳ μέμνηται· idem Athenaeus 323a: 'Ε. δ' ἐν Μούσαις·

χαλκίδας τε καὶ κύνας κέστρας τε πέρκας τ' αἰόλας,

vel, ut antea vidimus (fr. 42 et 43) inter versus repetitos unum versum verbo κόγχος excepto totum mutavit vel versibus imparibus

(fr. 45) λαμβάνοντι γάρ

ὄρτυγας στρουθούς τε κορυδαλλάς < τε > φιλοκονίονας

et (fr. 46) ἦν δ' ἐρῳδιοί τε πολλοὶ μακροκαμπυλαύχενες

eundem versum adiunxit

τέτραγές τε σπερματολόγοι κἀγλααὶ συκαλλίδες [1]).

Etiam fragmenta 51

κὠξύρυγχοι ῥαφίδες ἵπποuροί τε καὶ χρυσόφρυες

---

[1]) Nempe constructione sententiae accidit, ut fr. 45 versus membra accusativi, fr. 46 nominativi sint.

(Ath. VII, 304 c ἐν Ἥβας γάμῳ;) 328 b μνημονεύει δ'αὐτῶν (τῶν χρυσοφρύων) καὶ 'Ε. ἐν Μούσαις, et 52 (Athen. III, 110 b): 'Ε. δ'ἐν Ἥβας γάμῳ κἀν Μούσαις . . . ἄρτων ἐκτίθεται γένη . . . ad rem nostram pertinent. In universum hoc statuere possumus: Epicharmus fabulam iam antea sive scriptam sive actam novo titulo adiecto quasi novam edidit. Multos versus secundae comoediae integros inseruit, alios paulo, alios valde mutavit. Prioris ludi versus omisit, novos finxit. Fortasse nonnulla argumento paria haud isdem versibus reddidit (fr. 51; 52). Quantus horum versuum novorum prae ceteris fuerit numerus, sciri non potest. Neque enim fr. 53—75, quae aut Ἥβας γάμῳ aut Μούσαις solis ab Athenaeo tribuuntur, utrum singulis fabulis an utrique adiudicanda sint, certe perspicias; nam non semper Ath. versum quendam apud poetam bis legi diligenter monet[1]).

Quomodo igitur Epicharmus in fabulis suis iterandis versatus sit, ex iis, quae adhuc disputavi, intelleximus. Comoediam Atticam ex illius ludis hausisse de Salis in dissertatione (p. 36 sqq.) permultis demonstravit, etsi complura eius probare non possum, quae suo loco reicienda erunt. Ad huius igitur libelli alteram partem me hic relegare sufficit. In universum hoc loco remittam in titulorum magnum sane numerum, quos comoedia Attica cum Epicharmo communes habet: Βάκχαι (Lysippus, Diocles), Βούσειρις (Cratinus), Διόνυσοι (Cratinus[2]), Κωμασταὶ (Phrynichus, Amipsias), Μοῦσαι (Phrynichus), Σειρῆνες (Theopompus, Nicophon), Φιλοκτήτης (Strattis).

---

[1]) Idem versus (fr. 44) e. c. ab Athenaeo VII, 282 a et 308 e Ἥβας γάμῳ soli, 307 b Μούσαις soli assignatur nulla vel hoc vel illo loco relatione facta, quod in utraque fabula hic versus scriptus est. Tribus demum locis inter se collatis hoc apparet.

[2]) cfr. A. Koerte, Hermes 39, 485.

II.

De antiquae comoediae iteratis.

Quibus de Epicharmo propositis nos convertamus ad Atticos ipsos. Nos antiquam solum et mediam comoediam tractaturos esse antea iam commemoravimus. Praestat autem de his seiuncte agere. Comoedia enim antiqua quam vocamus posita est in condicionibus diversis a media. Politica potissimum[1]) argumenta tractat (cfr. Aristophanis Acharnenses, Equites, Vespas) vel aequalia illius temporis (Nubes, Thesmophoriazusas, Ranas), in media de mythis, de vita cottidiana aliisque agitur. Iterata quoque antiquae aliusmodi sunt ac repetita mediae. Quin hanc rationem sequamur, non impeditur eo, quod nonnullae antiquorum comoediae argumenta mediae tractant. Sed poscitur alia ex causa haec divisio: Condiciones meditantis de iteratis et antiquae et mediae inter se prorsus diversae sunt. Illius enim servatae sunt Aristophanis undecim comoediae, in quibus poetae iterata plane ac perspicue cognosci possunt. Peiore loco res est, si mediam inspicimus comoediam. Ibi enim sola fragmenta servata sunt. Itaque cum condiciones, quibus hae duae comoediae partes diiudicandae sint, diversae sint, eas singulatim contemplabimur[2]).

---

[1]) Saepe etiam antiquae comoediae argumenta fuisse, quae mediae propria putamus, Koerte significat (Hermes 39, p. 486).

[2]) Ut totam rem ante oculos habeamus, etiam ea suppedito, quae falso ad nostrum propositum adhiberi possint quaeque ipse non iterata esse monstrabo.

§ 1.

Primo occupamur iis, quae ex suis quisque poeta fabulis redintegravit. Omnium, vel clarissimorum comicorum hanc consuetudinem fuisse monstrare possumus, Cratini, Eupolidis, Aristophanis, deinde Antiphanis, Alexidis, Menandri, Philemonis, aliorum. Cum Aristophanis in antiqua comoedia longe plurima habeamus, caput huius disputationis erit, quae de Aristophanis iteratis disserenda habeo, ceterorum exempla occasione data inseram. Primo iterata ex fabulis servatis offero, quia de his iudicium certius fieri potest, quam de fragmentis; non loquar de iis, quae in una eademque fabula repetita inveniuntur.

Vix animum ad talia intendas, qualia eadem ludificationis elementa exhibent Equ. 175 et Av. 177: Loco utroque aliquis, qui non facile adduci potest ut credat, monitus ut huc illuc spectet, respondet:

Equ. 175 εὐδαιμονήσω δ' εἰ διαστραφήσομαι,
Av. 177 ἀπολαύσομαί τι δ' εἰ διαστραφήσομαι.

Non conscius ut credo Aristophanes hoc in versu ad illum spectavit[1]). Nihilo magis hoc respiciamus necesse est:

Equ. 1244 λεπτή τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα,

a quo versu non alienum est

fr. 150, v. 11 ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὠχεῖσθ' ἄρα.

Deinde inter minutias, quas neglegamus licet, habeo:

Δαναΐδες (fr. 251) οὐδεὶς βεβαλάνωκε τὴν θύραν

et Ecclesiaz. v. 361 οὗτος βεβαλάνωκε τὴν θύραν;

πτωχικὸν βακτήριον commemorari et in Acharnensibus (v. 448) et in Senectute (fr. 127); fragmenti 189 ex Daedalo καὶ ταῦτ' ἔχοντα πουλύπους καὶ σηπίας verba καὶ ταῦτ' ἔχοντα πουλύπους legi etiam in Danaidibus. At certe verba Equitum, quibus servus alter botularium instrumenta humi ponere iubet

---

1) Sed postea hanc rem iterum movebimus.

v. 155 ἄγε δὴ σὺ κατάθου πρῶτα τὰ σκεύη χαμαί iterata sunt in Pace

v. 886 ἄγε δὴ σὺ κατάθου πρῶτα τὴν σκευὴν χαμαί; omnia, particulae quoque parvae, eundem in hoc et in illo versu locum habent. Quamobrem hunc versum Aristophanes exscripserit ex Equitibus, quis hoc eruat? Fortasse hic Bergkii sententia apta est (p. 322) poetas (mediae et novae) repetere, quae commodius aptiusve se dicere posse desperent.

Etiam magni momenti sunt haec duo exempla: primo et in Εἰρήνῃ δευτέρᾳ et in Ὁλκάσι idem versus gravis (fr. fr. 296 et 401) legitur:

ἰὼ Λακεδαίμων, τί ἄρα πείσει τήμερα;

Hic versus ex Holcadibus sumptus in Pacem alteram translatus est. In Holcadibus Πόλεμον loqui, ut in Pace, non cum Kockio crediderim. Immo potuit huiusmodi versus ubique inseri ab Aristophane, qui nullam occasionem praetermisit, qua in Lacedaemonios inveheretur.

Deinde proprium et singulare est, quod versus

Arist. (fr. 1) ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
λιπών, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδώλια

in duabus comoediis, ut Athenaeus III, 112e docet, ‚ἐν Γηρυτάδῃ καὶ Αἰολοσίκωνι' [1]) legebantur. Nam mirum est, quod in duabus fabulis aliquis narrat, se pistrinam Thearionis reliquisse. Quamquam Th. homo notus erat, cfr. Plat. Gorg. 518b.: Θεαρίων ὁ ἀρτοκόπος καὶ .... θαυμάσιοι γεγόνασι σωμάτων θεραπευταί, ὁ μὲν ἄρτους θαυμασίους παρασκευάζων ....

---

[1]) Hoc contra Grauerti et Dindorfi sententiam, quorum alter ἐν Γηρ. ἢ Αἰολ. scribi voluit, alter verba καὶ Αἰολοσίκωνι omisit, recte censuit Meinekius, qui dixit: „Simplicissima est ea ratio, quam ipsa Athenaei verba commendant, ut in utroque dramate iidem hi versus usurpati sint ab Aristophane; solet enim poeta ea, quae satis commode ipsi videntur dicta esse, vel integra vel leviter tantum correcta iterare ..“.

Altera ex parte bis Euripidis Hecubae irrisione usus est Aristophanes:

v. 1. ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,

et cum hi Euripidis versus primi sint tragoediae, Aristophanis quoque versus primos duarum fuisse comoediarum verisimile est.

Clarissimum autem iterationis exemplum est illa parabaseos Vesparum pars qua profitetur poeta se non homunculos privatosve vexasse, sed monstrum foedissimum atque pestem aggressum esse:

v. 1029 οὐδ' ὅτε πρώτιστ' ἦρξε διδάσκειν, ἀνδραρίοις φήσ' ἐπιθέσθαι,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,
φώκης δ' ὀσμήν, λαμίας ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.
τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας καταδωροδοκῆσαι
ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ.

His versibus eum in Cleonem invectum esse scholiasta indicat: Περὶ Κλέωνος γὰρ αἰνίσσεται. Sed evidentius quae persona hac invectiva sit affecta, elucet ex parabasi Pacis, quo loco horum versuum plurimi iterum leguntur:

v. 751: οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βαρβαρομύθους,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ γλῶτται κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,
φώκης δ' ὀσμήν, λαμίας ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.
759 τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ', ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων . .

Versu 753 plane significatur magnus ille demagogus ex plebe ortus. Illos Vesparum versus plausus clamoresque

populi cupiditate bellandi non iam flagrantis, ut facile credas, secuti sunt, praesertim cum illo tempore — ineunte anno 422 — Atheniensium res non ita bene starent Brasida Spartianorum rege eos valde urgente. Anno sequenti, quo Pax fabula acta est, pax iam confecta erat. Huius eventus partem poeta sibi ascribit neque efficacius hoc monstrare potuit quam verbis, quibus civitate non florente eum, qui tum rei publicae rector atque auctor erat, aggressus est, pace conciliata repetitis. Simul ante oculos spectantium fert, quam felices sint Cleone mortuo. Quod hoc modo quasi pedis verbere leonem exanimatum castigat, spectatores non commoventur[1]). Plurimum, ut iam dixi, ad verbum repetitur, sed etiam dissimilia inveniuntur. Ut Cleone mortuo tamen appareat, in quem invehatur, versum 753 in posteriorem inserit fabulam. Sententia solum, non verbis v. 1029 Vesparum respondet Pacis versui 751, versus illius 1036/7 huius 759. Notandum quoque est in Pace poetam de se persona tertia uti, dum iterata profert, deinde prima, cum in Vespis omnino tertia sola utatur.

Fragmenti Hermippi 47, quod Athenaeus diligens auctor ex Moeris profert, duo versus idem sunt, qui a scholiasta Arist. Pacis v. 1241 (Dind.) de Militibus fr. 56 illius auctoris deprompti sunt

ῥάβδον δ᾽ ὄψει τὴν κοτταβικὴν
ἐν τοῖς ἀχύροισι κυλινδομένην.

Affirmari solum potest in utraque comoedia duos versus eosdem ad verbum scriptos fuisse. Reliquos quoque in Militibus anapaestos eosdem qui in Parcis vel paulo mutatos fuisse conici potest.

Consilio imitatus est Aristophanes, etsi sensus et illius et huius loci est diversus, verba Vesparum, ubi chorus Xanthiam servum verberatum domo exeuntem adpellat verbis:

---

[1]) cfr. Ranas, in quibus Euripidem iam mortuum irridet.

v. 1297 τί δ' ἔστιν ὦ παῖ; παῖδα γὰρ κἂν ᾖ γέρων
καλεῖν δίκαιον, ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ

in Thesmophoriazusis, cum feminarum chorus Clisthenem virum effeminatum salutat versibus:

582 τί δ' ἔστιν ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν
ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψιλὰς ἔχῃς.

Vidimus igitur ab Aristophane versus singulos, sententias et parvas et amplas iisdem vel diversis verbis, iocos, annominationes iocosas repetitos esse.

Nunc ad aliusmodi iterata transeamus. Bis eandem Euripidis tragoediam Telephum Aristophanes in obscoenos risus deflectit. Rex Mysorum bello Troiano ab Achille hasta vulneratus sanari non potest antequam eadem hasta, quam Achille mortuo Agamemnon possidet, iterum attingatur. Cum Mycenarum princeps, quem adit, eius precum rationem non ducat, ille subito Orestem eius filiolum arripiens gladio percutere minatur. Tum Agamemnon perterritus ei obsequitur. Hanc tragoediam ab Aristophane irrideri[1]) spectatores eruditi et per se sciunt et insuper ex Acharnensium versibus 430 sq. concludere possunt. Hic enim Dicaeopolis petit ab Euripide pannos tragoediae deterrimos et accipit Telephi

Eur. οἶδ' ἄνδρα Μυσὸν Τήλεφον. Dic. ναὶ Τήλεφον·
τούτου δός, ἀντιβολῶ σ', ἐμοὶ τὰ σπάργανα.

Cur autem poeta deterrimos pannos significat Telephi? Neque enim is omnium, qui illo loco enumerati sunt, infelicissimus erat! At hoc loco monstrare voluit scena priore (v. 325 sqq.) tragoediam Telephum a se illusam esse. Nunc nobis comparandum est, qua ratione hic et illic Aristophanes hanc parodiam adhibuerit. In Acharnensibus Dicaeopolidem senes opprimunt, lapidibus obruere volunt. Tum ille subito, ut se tueatur, canistrum carbonis promit et gladio

---

[1]) Schol. Ach. 332 (Dind. 331): τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών.

transfossum iri minatur. Senes timent quasi de populari, ut Agamemnon de filio, et statim iussu Dicaeopolidis lapides in terram iaciunt pollicenturque se nullo malo eum affecturos esse, dum criminatione se solverit. D. et ipse canistro parcere promittit. Simul animadvertens se pulvere carbonis denigratum esse risum magnum movet

v. 350 ὑπὸ τοῦ δέους δὲ τῆς μαρίλης μοι συχνὴν
ὁ λάρκος ἐπετίλησεν ὥσπερ σηπία,

etiam nunc fingens canistrum esse hominem. Non tam constanter poeta fecit in Thesmophoriazusis. Mnesilochus, qui in feminarum contionem irrepsit, a Clisthene et feminis comprehenditur. Subito is parabasi chori perfecta mulieri natum eripit

(Γυνή) v. 690 τάλαιν᾽ ἐγώ τάλαινα, καὶ τὸ παιδίον
ἐξαρπάσας μου φροῦδος ἀπὸ τοῦ τιτθίου

et parvulum a se necatum iri minatur. At his minis, quibus Dic. in Ach. efficaciter utitur, se solvere non potest, immo „mater" aliaeque feminae lignum colligunt, ut eum comburant. Interim ille quam femina simulat filiolam esse exuens non natam sed utrem vinarium vini plenum cognoscit. Quamquam Mnesilochus verum aperuit, tamen in sequentibus quoque versibus mulier lamentatur, quasi uter vinarius homo sit. Quod Dic. constanter dissimulaverit, non miramur, cum Acharnenses idem fecerint. Feminae in Thesm. pertinacia, cum res aperta sit, locum non habet. In universum meliora nobis obtulisse in Acharnensibus poetam, quam in Thesm., non profitear. Immo iam initio huius fabulae parodia evidentior fit quam illius — Mnesilochus stirpem quem putat ut Telephus Orestem ad se rapit, cum Dicaeopolis canistrum e domo ferat — deinde optime poeta illudit mulieres vino deditas, quae vinum clam in contionem important utre infantis more induto. Contra tragoedia ipsa et parodia in Acharnensibus eundem habent eventum: Et Telephus et Dicaepolis assequuntur, quae volunt; Mnesilochus rapina nihil assequitur. In Thesm.

haec scena nulla necessitate inserta est, immo progressum retardat; in Acharn. illa scena magni est momenti ad fabulae progressum.

Aliam quoque tragicorum parodiam duplicem Aristophanes nobis praebet. At non argumentum fabulae cuiusdam irridet, sed machinam, qua ille tragicus saepius utebatur, ut spectatoribus ante oculos duceret, quae ἔνδον facta essent, τὸ ἐκκύκλημα. Hanc tragicorum institutionem illusurus Aristophanes in Ach. Euripidem, in Thesm. Agathonem tragoediae poetam hac machina emoveri facit. Hos duos locos comparantibus non bene comicum in Thesm. Acharnensium locum repetivisse nobis satis elucebit.

Illa in fabula Dicaeopolis orat, ut Euripides e domo exeat; hic respondet:

v. 407 ἀλλ' οὐ σχολή·
Dic.: ἀλλ' ἐκκυκλήθητ' ...
Eur.: ἀλλ' ἐκκυκλήσομαι· καταβαίνειν οὐ σχολή.

Euripides enim facit tragoediam, cum Dic. pulsat fores; ei non operae est descendere — καταβαίνειν, nam

ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ τραγῳδίαν —,

sed ei tempus est provehendi ἐν ἐκκυκλήματι. Plausus clamoresque magni hunc iocum secuti erunt. Aliud praeterea iocosum ante spectantium oculos agebatur. Dic. ab Euripide petit

v. 415 δός μοι ῥάκιόν τι τοῦ παλαιοῦ δράματος.

Euripides interrogat: „τὰ ποῖα τρύχη“; enumeratque singulas tragoedias suas. Inter haec ante omnium oculos pannos ac lintea singulos tollit atque ostendit; et armarium iuxta eum collocatum esse, cuius in loculis panni singuli iacuerint, recte concludamus ex

v. 432 ὦ παῖ δὸς αὐτῷ Τηλέφου ῥακώματα·
κεῖται δ' ἄνωθεν τῶν Θυεστείων ῥακῶν
μεταξὺ τῶν Ἰνοῦς.

Persimile est argumentum loci in Thesm. v. 95 sqq. Hic ut illic aliquis ἐκκυκλεῖται, utroque loco poeta tragicus. Ad

utrumque aliquis venit, ut auxilium ab eo petat. Denique et Dicaeopolis et Euripides vestitum poscunt et accipiunt. Sed minus apte in Thesmophoriazusis rem agit. Cur Agathon ‚evolvitur‘, non e domo prodit? Domesticus quidam silentium naturae imponit profiteturque dominum suum egressurum esse, ut extra domum versus componeret. Euripide et Mnesilocho deinde aliquantum collocutis (v. 71—94), ille subito dicit:

... Ἀγάθων ἐξέρχεται.
... οὗτος οὐκκυκλούμενος.

Neque ex his versibus neque ex sequentibus intellegi potest, quamobrem Aristophanes Agathonem evolutum, non egredientem fecerit. Praeterea deest alter iocus: Agathon non tragoediae partes quasi vestimenta edit, sed vestem veram, non ex loculis promit, sed qua ipse amictus erat, Mnesilochum induit. Hoc igitur Thesmophoriazusarum loco iocos Acharnensium minus feliciter iterat poeta. Saepius in posterioribus fabulis Aristophanem ex prioribus nonnulla redintegrasse, cum nova creandi vis deficeret, his duobus exemplis constat. Praecipue Thesmophoriazusas priorum pannulis exornat.

Nunc operam do, ut adumbrem Aristophanem etiam si quid compositionis in fabula aliqua placuit, in altera creanda iterum usum esse. Praecipue in sermonibus factisve chori talia invenias.

In Acharnensibus chorus, ubi primum in orchestram venit, ingreditur in histrionem, qui primas agit partes (Dicaeopolis v. 280), quasi in hostem. Is circumventus verbis invasoribus persuadet et eo amicos sibi parat, qui antea eius erant inimici (v. v. 560. 626). Idem rerum ordo atque eventus est in Vespis (Bdelycleon; v. v. 342. 403—725) et in Avibus (328. 627). — Acharnenses, qui persequuntur Amphitheum foedera a Lacedaemoniis ferentem, Vespae, qui intrant orchestram, ut socium Philocleonem in iudicium

deducant, Lysistratae chorus virorum, qui approperat, ut feminas ex arce pellat, ad negotium aliquod adeundum orchestram ineunt, sed ut senes tarde proficiscuntur. Ob id inter se impellunt vocibus:

Vesp. 230 χώρει πρόβαιν᾽ ἐρρωμένως· ὦ Κωμία βραδύνεις.
233 ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν,
Εὐεργίδης ἆρ᾽ ἐστί που ᾽νταυθὶ Χάβης θ᾽ ὁ Φλυεύς;
Lys. 254 χώρει Δράκης, ἡγοῦ βάδην
266 ἀλλ᾽ ὡς τάχιστα πρὸς πόλιν σπεύσωμεν, ὦ Φιλοῦργε [1]).

Sed senectute impediti queruntur:

Ach. 210 οἴμοι τάλας τῶν ἐτῶν τῶν ἐμῶν

et iuventutis memores eorumque quae tunc perfecerunt, addunt: οὐκ ἂν ἐπ᾽ ἐμῆς γε νεότητος, ὅτ᾽ ἐγὼ φέρων ἀνθράκων φόρτιον
ἠκολούθουν Φαΰλλῳ τρέχων . . .
. . . οὗτος ὑπ᾽ ἐμοῦ τότε διωκόμενος
ἐξέφυγεν.

Factorum reminiscuntur in Vespis quoque senes
v. 235 πάρεσθ᾽ ὃ δὴ λοιπόν γ᾽ ἔτ᾽ ἐστὶν . . .
ἥβης ἐκείνης ἡνίκ᾽ ἐν Βυζαντίῳ ξυνῆμεν

versusque sequentes

et in Lysistrata 273: ἐπεὶ οὐδὲ Κλεομένης . . .
ἀπῆλθεν ἄψαλακτος, ἀλλ᾽ . . .
ὤχεθ᾽ ὅπλα παραδοὺς ἐμοί [2]).

---

[1]) Non casu ut videtur in hac quoque parodo, v. 259, nomen Στρυμόδωρος (cfr. Vesp. 233) legitur. Aristophanes in hac parte componenda illos versus ante oculos habuisse puto.

[2]) Quod de factis in proeliis contra Persas commissis gloriantur saepius senes chori (γέροντ᾽ ἀπολέσαι)

Ach. 695 πολλὰ δὴ ξυμπονήσαντα καὶ . . . πολύν,
ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν ὄντα Μαραθῶνι περὶ τὴν πόλιν
et Vesp. 1076 ἀνδρικώτατον γένος καὶ πλεῖστα τήνδε τὴν πόλιν
ὠφελῆσαν ἐν μάχαισιν, ἡνίκ᾽ ἦλθ᾽ ὁ βάρβαρος,

non miramur; chorus enim ducit, ut ex senibus compositus, illos viros fortes, qui apud Marathonem et Salaminem vicerant. Res igitur ipsa iterationem secum fert.

Aliusmodi similis locus ex dialogis adferri potest. In Equitibus v. 162 δευρὶ βλέπε,

170 καὶ κάτιδε τὰς νήσους ἁπάσας ἐν κύκλῳ.

173 ἔτι νῦν τὸν ὀφθαλμὸν παράβαλλ' ἐς Καρίαν

servus alter botularium circumspectare iubet, ut imperium futurum videat. Is respondet:

v. 175 εὐδαιμονήσω δ' εἰ διαστραφήσομαι.

Eo loco respecto Aristophanes composuisse videtur versus in Avibus 175 sqq. Ibi enim Pisthetaerus, postquam ut aves sibi oppidum conderent suasit, upupae imperat:

βλέψον κάτω . . βλέπε νῦν ἄνω

περίαγε τὸν τράχηλον . . . et upupa:

v. 177 ἀπολαύσομαί τι δ' εἰ διαστραφήσομαι. —

Argumentum Senectutis quod cognoscitur ex Athen. III, 109 f. ὑπὸ τῶν τὸ γῆρας ἀποβαλλόντων — chorus videtur fuisse senum, qui serpentum in modum senectutem exuerunt — aliquam cum Vespis similitudinem habuisse apparet. Ii iuventute recuperata commutati, ut Philocleo ex moroso quasi iuvenis fit, multa iuvenilis petulantiae et protervitatis documenta dant. Philocleo intemperanter pistricis panes perdit (ἐξέβαλεν ἄρτους δεκ' ὀβολῶν) et haec deinde scenam ingrediens ab illo deridetur (v. 1387 sqq.). Illi quoque pistricis panes rapiunt hancque feminam deinde in scenam prodeuntem poeta facit (Athen. 109 f.): Ἀριστοφάνης ἐν Γήρᾳ· ποιεῖ (δὲ) λέγουσαν ἀρτόπωλιν διηρπασμένων αὐτῆς τῶν ἄρτων ὑπὸ τῶν τὸ γῆρας ἀποβαλόντων. Aequo modo ac in Vespis a sene ebrio hac in fabula irrideri videtur:

fr. 125 [Ἀρτοπ?] τουτὶ τί ἦν τὸ πρᾶγμα; [Γερ?] θερμούς, ὦ τέκνον.
=‖= ἀλλ' ἦ παραφρονεῖς; =Γ= κριβανίτας, ὦ τέκνον,
λευκοὺς δὲ πάνυ [1]).

Dissimilia sunt argumenta Ἀνάγυρος et Νεφέλαι fabularum. Tamen Kockio iudice ‘exordium illius comoediae simile

[1]) Quae sit huius cum Amphiaro Equitibusque similitudo a Kockio commemorata non intellego.

fuisse Nubium videtur'. Haec opinio solum fragmentis 41—3:

41) μὴ κλᾶ'· ἐγώ σοι βουκέφαλον ὠνήσομαι.

42) ψῆχ' ἠρέμα τὸν βουκέφαλον καὶ | τὸν κοππατίαν.

43) ὡς δ' ὀρθοπλήξ. =||= πέφυκε γὰρ δυσγάργαλις.

niti potest, quibus ut initio Nubium

v. 23 ὅτ' ἐπριάμην τὸν κοππατίαν.

25 Φίλων ἀδικεῖς· ἔλαυνε τὸν σαυτοῦ δρόμον (sqq.)

de equis verba fiunt. Quamnam autem personam hunc equum accepturam esse arbitramur? An filium, quem senex ipse perdidit? Nonne omnino illa fragmenta in personas spectant, quae in argumento tragoediae enumerantur, quod Aristophanes in ridiculum detorsit (cfr Gaisford. Proverb. Coislin. p. 123)? Num recte initio comoediae fuisse fr. 41—43 conicimus? Haec omnia tam incerta sunt, ut omnino manus abstineam.

Nunc nobis sunt fabulae nonnullae examinandae, quibus in universum idem vel simile pro fundamento positum est. Summa sententia et Lysistratae et Ecclesiazusarum haec est: Quae viri perficere non possunt, iis feminae manus adferunt ac prospere conficiunt. Quae non vi sed dolo victoriam reportant: Ut Lysistrata cum mulieribus clam Athenarum arcem occupat eoque a se argentoque viros prohibet, ut hi pacem inire cogantur, ita in Ecclesiazusis feminae virorum vestitu barbisque indutae in contione legem perferunt, ut feminarum opere ac studio res publica ad meliorem vertatur statum. — Res aliqua improvisa facilius contingit prima sub luce. Utriusque igitur fabulae scena incipit sub solis ortum:

Lys. v. 16 χαλεπή τοι γυναικῶν ἔξοδος . .

18 ἡ δ' οἰκέτην ἤγειρεν . . .

Eccl. 20 καίτοι πρὸς ὄρθρον γ' ἐστίν.

Viri, qui in utraque fabula in scenam procedunt, mali et viles sunt eoque ostenditur, quam necessarium sit imperium mulierum. A muliere una tota res mota neque fortasse e colloquiis nonnullarum orta est. Haec eadem mu-

lier in utraque fabula prima sola scenam introit primasque agit partes in tota fabula, in illa Lysistrata, in hac Praxagora. Aristophanes igitur in Ecclesiazusis componendis in eodem fere argumento quo in Lysistrata versatus est. Sed praedicandum est, quam eleganter iterationis vestigia delere conatus sit. Prior fabula nomen duxit ex persona prima, Lysistrata, posterior pro prima actionis parte nominatur Ecclesiazusae. In illa post pauca monologi verba dialogus incipit, huius prima scena est monologus [1]) Praxagorae magnus. Viri hic et illic pariter describuntur; sed Blephyrus est coniunx personae primae, Cinesias personae alterius minus insignis.

Ut in Lys. et Eccl. argumentum mulierum imperium sumpsit, ita Aristophanes compluribus operibus consilia pacis civibus obtulit. Quae sunt Acharnenses et Pax ante commemoratae, praeterea Agricolae et Holcades. In Agricolis desiderium agri patrii, quo flagrant rustici, describi et hoc desiderium satiari cognoscimus ex fragmentis 107—11. Holcades in hoc numero esse apparet comparato argumento Pacis primo (ed. Mein. 282): οὐ τοῦτο δὲ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης Ἀριστοφάνης τὸ δρᾶμα τέθεικεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἀχαρνεῖς καὶ τοὺς Ἱππέας καὶ Ὁλκάδας. Etsi huic nuntio omnino confidendum non est, — inter fabulas, quibus de pace

---

[1]) Hic monologus et Acharnensium prooemium inter se similitudinem, quod attinet ad compositionem, aliquam habent. Et Dicaeop. et Prax. primo specie indifferentia viliaque loquuntur. Demum in v. 32: εἰρήνης ἐρῶν et v. 37—9

νῦν οὖν ἀτεχνῶς ἥκω παρεσκευασμένος
βοᾶν, ὑποκρούειν, λοιδορεῖν τοὺς ῥήτορας
ἐάν τις ἄλλο πλὴν εἰρήνης λέγῃ.

Dicaeopolis significat sic haud ita perspicue argumentum fabulae. Item Praxagora sero spectantes argumentum divinare facit verbis incertis:

v. 24 τί δῆτ᾽ ἂν εἴη; πότερον οὐκ ἐρραμμένους
ἔχουσι τοὺς πώγωνας, οὓς εἴρητ᾽ ἔχειν;
ἢ θαἰμάτια τἀνδρεῖα κλεψάσαις λαθεῖν
ἦν χαλεπὸν αὐταῖς;

agatur, Equites quoque falso enumerati sunt — tamen de Holcadibus pacis comoedia ut ita dicam dubitemus necesse non est. Quemnam haberet locum

fr. 401 ἰὼ Λακεδαίμων, τί ἄρα πείσει τήμερα;

nisi similem ac eadem verba repetita in Pace altera (fr. 296)? In illa igitur comoedia scenam similem fuisse, quae in Pacis primae v. 236 sqq. — nam Pacem et eius alteram editionem argumento inter se non diversas fuisse luce clarius est — elucet, etsi Kockii sententiam 'in Holc. Πόλεμον non loqui' argumentis refellere neque possum neque volo. — In fabulis servatis (Ach. Pax I) plura similia animadvertere possumus. Utraque in partes duas est divisa: primum rusticus quidam (Dic.; Trygaeus) sibi quidem pacem parare conatur eventu prospero, altera in parte securitate vitae rusticae recepta pacis voluptatibus commodisque fruitur. Nempe non omnibus fabulae aeque consentiunt. Dicaeopolis et agricolae (in Γεωργοῖς) ex urbe rus revertuntur, Trygaeus agrum omnino non relinquit. Congruunt autem primae partes Acharnensium et Holcadum hactenus ut, si recte Kockius iudicavit (p. 495)

de fr. 400 βαβαί, Λάκων· ὡς ἀμφοτέρων ἡμῶν πρὶν ἦν
τὰ πράγματ' οἰσυπηρὰ καὶ βαρύσταθμα

omnes iniuriae criminationesque et Lacedaemoniorum in Athenienses et Atheniensium in Lacedaemonios examinatae sint, quo facto apparuit utrasque pariter fere graves et turpes esse (cfr. Ach. 496—556); deinde pax composita est. In parte Acharn. et Pacis secunda pari modo ex adverso positae sunt personae, quibus demonstretur, quae bona pax secum ferat, quae mala bellum. Illi sunt Dic. et Tryg., qui contente cenant, hic Lamachus, cui in pugnam properandum est, dum Dicaeopolidi bibendum, et opifices belli, qui pace constituta mala sunt in condicione, cum arma sua vendere non possint.

Aristophanis Gerytadis argumentum illustrari fragmentis 149. 50 fabulamque similem esse Ranarum Kockius haud

iniuria sibi persuasit: „In tantis post mortem Sophoclis Euripidisque artis scenicae angustiis legatos in orcum missos esse, ut a mortuis artis principibus consilium auxiliumque petant.“ Hoc infuisse in Gerytade firmatur Athenaei testimonio ad fr. 149. 50 (XII, 551 a): Ἀρ. ἐν Γηρ. . . . πρέσβεις ὑπὸ τῶν ποιητῶν φησιν εἰς Ἅιδου πέμπεσθαι πρὸς τοὺς ἐκεῖ ποιητάς. Et in Gerytade et in Ranis homines ad inferos descendisse, ut a poetis magnis, qui de vita decessissent, lucrum aliquid ferrent, narratur. Prima utriusque fabulae pars geritur in terra ipsa, non in inferis (cfr. fr. 149). Accedit, quod et hoc et illo loco aliquis ire iubetur, cum versum Ranarum 436

ἀλλ ἴσθ' ἐπ' αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος

Kockius, ut puto iure, in Gerytadem (fr. 162) transferat scholiastae ad v. 436 verbis confidens: τὸ ὅμοιον καὶ ἐν Γηρυτάδῃ. Inter se differunt ludi eo, quod in altero Dionysus, quasi omnibus pro viventibus, in altero poetae superstites ipsi auxilium a collegis mortuis petunt.

Kockius p. 383 ad Phrynichi fabulam Τραγῳδοὶ adnotat verba: ‘Musarum (scilicet eiusdem auctoris) similis videtur fuisse’. Hoc efficit et ex titulo et ex fragmento Tragoedorum 55

τῇ διαθέσει τῶν ἐπῶν

quod comparat Ranarum versui 1181 (ἀκουστέα)

τῶν σῶν προλόγων τῆς ὀρθότητος τῶν ἐπῶν.

Musas enim Ranis persimillimas esse postea mihi ostendendum erit. Etiam in Musis fuit certamen de artis tragicae principatu; sed hoc in Tragoedis quoque locum habuisse ex his paucis eius fabulae reliquiis nequaquam cogi potest, etsi Kockius ‘Euripidem audire contra Aeschylum vel Sophoclem dicentem’ sibi videtur (adnot. ad. fr. 55).

Versibus duobus Hermippum et in Moeris et in Militibus locum dedisse iam antea commemoravimus. Incautius Bergkius (p. 320. 2) ex his duobus versibus iteratis

posteriorem fabulam quasi pro recensione vel repetitione alterius habendam esse censuit hac sententia nullo alio testimonio probata: 'commune autem utriusque fabulae consilium hoc fuisse, ut civibus pacis commoda et emolumenta commendaret. Moerarum fabulam Hermippum docuisse sub initium belli, Milites aliquot annos post Pericle mortuo. Anapaestos primae fabulae ferventissimos (fr. 46), qui in Periclis contumeliam compositi essent, in altera eum segregasse, sequentes integros vel minima ex parte mutatos in altera fabula repetivisse.' At ex exemplo ipso, quod hic adfert — versus illos pares ex Vespis 1029 et Pace 751 — intellegere potuit non semper ex nonnullis versibus iteratis, etsi peculiaris sunt argumenti, de totis operibus concludendum esse.

§ 2.

In his adhuc tractatis poetas singulos in diversis comoediis suis iterum isdem usos esse docuimus. Num mirum est, quod illi non semet ipsos tantum sed etiam alios imitando consecuti sint? Neque enim antiqui tam aegre ferebant aliquem ea, quae alter poeta excogitaverat, pro suo in opus suum transferre. Quamquam concedendum est poetas ipsos de his suorum furtis interdum valde iratos fuisse, ut exempla prius allata docent. At cum comici irati aemulorum furta haud raro exaggeraverint, potius ipsas reliquias aliorumque testimonia examinabimus, quam nimis poetarum accusationibus confidemus. Hicquoque primo minora, quae fragmenta nobis afferunt, inspiciemus, deinde de fabulis totis nobis erit oratio simulque conquiremus, quae sit ratio litis inter Eupolidem Aristo phanemque, qui invicem furti se arguunt, quodque sit iudicium de Platonis quae indicant furtis. Iamiam rem ipsam aggrediamur. Idem versus

ἔχων τὸ πρόσωπον καρίδος μασθλητίνης

in Etymologico magno 491, 10 adscribitur Cratino (283), ab Athenaeo attribuitur Δήμοις Eupolidis (107). Casu, ut Kockius putat, ab utroque poeta hunc versum fictum esse vix credibile est: etsi a duobus os alicuius ori cancri marini conferri potest, tamen quod μασθλήτινος quoque verbum rarum hic et illic positum est, miror. Itaque Eupolis collegae natu maioris versum in fabulam suam transtulit; talis enim est, ut ad repetendum facile pelliciat. — Duorum poetarum traditur versus

ἀτόπως καθίζων κοὐδὲ γιγνώσκειν δοκῶν,

Pherecratis (fr. 163) et Eupolidis (180) praeposito apud hunc versu

καὶ πόλλ' ἔμαθον ἐν τοῖσι κουρείοις ἐγώ.

Quod alteri sive Pherecrati sive Eupolidi versum abiudicemus, nihil habemus. Totus versus nihil habet proprii, ut Kockii verba 'potuit uterque eodem versu uti' hoc loco laudare malis, quam antecedente. — Aristophanis verba ioculari modo retractavisse videtur Demetrius quidam, poeta satis obscurus. Aelianus enim tradit (H. an. 12, 10): Δημήτριος (fr. 3) ἐν τῇ Σικελίᾳ τῷ δράματι μέμνηται, ὅτι καὶ τῇ πυγῇ λαλοῦσιν αἱ τρυγόνες in minurritionem turturis transferens, quae Aristoph. Nub. 157 sq. in culicis stridorem iocatus erat: ὁπότερα τὴν γνώμην ἔχοι, τὰς ἐμπίδας
κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν ἢ κατὰ τοὐρροπύγιον. —

Non indignum videtur hoc commemorare
Arist. Ran. 303 ἔξεστί θ' ὥσπερ Ἡγέλοχος ἡμῖν λέγειν·
,ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ',
et Sannyrion fr. 8 v. 3 ἀλλ' Ἡγέλοχος οὗτός με μηνύσειεν ἂν
ὁ τραγικὸς ἀνακράγοι τ' ἂν εἰς ἐχθροὺς μέγα·
,ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ'

poetae irrident Hegelochum histrionem, qui hunc Euripidis Orestis versum loquendi lapsu corruperat [1]). Neque ob id ipsum serio contendemus alterum quae ab altero dicta essent surripuisse et in suam rem convertisse. Sed etiam

Strattis comicus hoc ioco scurrili potitus versus finxit hos:

fr. 60 γαλῆν ὁρῶ. ‖ ποῖ πρὸς θεῶν, ποῖ, ποῖ, γαλῆν;
‖ γαλήν'. ‖ ἐγὼ δ' ᾤμην σε γαλῆν λέγειν ὁρῶ.

Hic quoque ab aequalibus nihil mutuatus, sed Epicharmum (fr. 87) imitatus est, quod de Salis loco ante commemorato monstravit:. ὁ Ζεύς μ' ἐκάλεσε, Πέλοπί γ' ἔρανον ἱστιῶν.
‖ ἦ παμπόνηρον ὄψον, ὦ τάν, ὁ γέρανος.
‖ ἀλλ' οὔτι γέρανον, ἀλλ' ἔρανόν<γά> τοι λέγω.

Aristophanes et Sannyrion histrionem illudunt et totum versum, quomodo ab illo pronuntiatus sit, sub aspectum dant, Strattis ab eo mucronem abstinet, ut ioco in dialogo — Epicharmum secutus — utatur. — Aristophanes quoque — liceat mihi id h. l. inserere — Epicharmo obnoxius est[2]). In Pace Trygaeus Mercurio, qui nomen genus patrem exquirit, idem semper respondet v. 185 sqq.:

τί σοί ποτ' ἔστ' ὄνομ'; οὐκ ἐρεῖς; ‖ — μιαρώτατος.
‖ ποδαπὸς τὸ γένος δ' εἶ; φράζε μοι. ‖ — μιαρώτατος.
‖ πατὴρ δέ σοι τίς ἐστ'; ‖ ἐμοί; — μιαρώτατος.

Hunc iocum non Aristophanis ipsius esse tradit schol. 184 (Dind.): τοῦτο ... τὸ ἀληθὲς τὴν ἀφορμὴν ἐκ τοῦ Σκίρωνος παρ' Ἐπιχάρμου ἔχει, ἐπεὶ κἀκεῖνος πεποίηκε τὸν φορμὸν ἐρωτηθέντα ... ἀποκρινόμενον (versus h. m. a Kaibelio restituti [fr. 125])

τίς ἐστι μάτηρ; ‖ Σακίς. ‖ ἀλλὰ τίς πατήρ;
‖ Σακίς. ‖ τίς ἀδελφεὸς δέ; ‖ Σακίς.

Eodem loco alterum exemplum praesto est, cuius ioci inventio non Aristophani, sed Epicharmo debetur. Sed satis de hoc![3])

---

[1]) Schol. Eur. Or. 279; schol. Ar. Ran. 303 (305 Dind.).

[2]) cfr. de Salis p. 36 sq.

[3]) Non inter iterata numerari possunt talia, qualia legimus apud Archippum 12 νήστεις κεστρέας, κεφάλους
et Amipsiam 1 νῆστις καθάπερ κεστρεὺς ἀκολουθήσεις ἐμοί
et Theopompus 13 καὶ στῆτ' ἐφεξῆς κεστρέων νῆστις χορός.

In numero poetarum, quorum versus saepius cum aliorum operibus congruunt, Plato comicus est. Re igitur cum quaestio in universum de Platone poscatur, postea de furtis eius quae feruntur disputabimus. Hoc loco id mihi monendum putavi, ne quis hos versus iteratos desideraret. Item ne divelleretur disputatio, de versibus et Metageni et Aristagorae poetis tributis et de nonnullis Aristophanis Pherecratisque versibus affinibus infra fusius dicam.

Etsi haud gravius antiquis temporibus tolerari antea dixi, quod aemulum poeta exscripserit, tamen ob unum hoc facinus inimicitiae graves certaminaque acerba sive orta sive aucta sunt. Aristophanes enim Eupolidem arguit furti Nub. v. 553: Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστος παρείλκυσεν
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς

comicique alterius quoque, Phrynichi, fabulis illum non pepercisse sequentibus profitetur versibus:

v. 555 προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κόρδακος οὕνεχ', ἣν
Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.

Contra Eupolis hoc crimen in parabasi Baptarum ita diluere studuit, ut notaret se ex inimici fabula nihil deprompsisse, sed hunc in fabula componenda a se adiutum esse (schol. ad Ar. Nub. 554): Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Βάπταις τοὐναντίον φησίν, ὅτι συνεποίησεν Ἀριστοφάνει τοὺς Ἱππεῖς. λέγει δὲ τὴν τελευταίαν παράβασιν. φησὶ δέ·

fr. 78 κἀκείνους τοὺς Ἱππέας
ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην,

et diligenter res tractatur scholio ad Equitum versum 1288 (Dind.): Ἐκ τοῦ ‚ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα' φασί τινες Εὐπόλιδος εἶναι τὴν παράβασιν, εἴ γε φησὶν Εὔπολις· 'ξυνεποίησα τῷ φαλακρῷ'. Aristophani igitur an Eupolidi credamus? — Tertii illius temporis comici clarissimi, Cratini, verba insuper respiciamus,

---

Multa enim eiusdem ioci exempla Athenaeus et mediae et novae comoediae collegit VII, 307 d (Antiph. 138, Anaxandr. 34, Eubul. 68 ,Alex. 256, Philem. 80). Haec duo verba coniunguntur et in homines transferuntur ὅτι εἶδος κεστρέων οἱ νῆστεις (Athen.).

quem Aristophanem aggressum esse ex scholio ad Equitum v. 528 (Dind.) comperimus (Cratin. fr. 200): παραληροῦντα· ταῦτα ἀκούσας ὁ Κρατῖνος ἔγραφε τὴν Πυτίνην δεικνὺς ὅτι οὐκ ἐλήρησεν, ἐν οἷς κακῶς λέγει τὸν Ἀριστοφάνην ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα. Ex huius quoque verbis concludimus Eupolidem iure se defendisse contra aemuli ingrati contumelias. Quamquam silentio praetereundum non est sed quaerendum, nonne Cratinus, qui ab Aristophane in Equitum parabasi quasi senex languidus vinolentusque illusus erat, irae plenus in irrisorem petulantem saevierit neque quaesiverit, num iure adversario hoc obiceret. Hoc autem ex antea dictis elucet: Cum Aristophanes Eupolidem furti arguat, is se non alienum esse ab Equitibus confiteatur, tertiusque de hoc furto iudicet, partem eandem in utriusque fabula quadam infuisse constat. Quas fabulas fuisse Aristophanis Equites et Eupolidis Maricantem ex loco Nubium et ex Eup. fr. 78 apparet. Scholio autem ad Equ. 1291 perspicitur, qui versus sint in controversia: Equitum alterius parabasis (1263—1315) antistropha et antepirhema et epirhematis duo versus postremi. De his versibus cum tam certa sententia proferatur, fieri non potest, quin hos ipsos omnes versus — nullo plures nullo minores — in Maricante lectos esse concludamus. Ex eo autem, quod non solum antistropha et antepirhema, sed etiam epirhematis postremi versus inanes repetiti sunt, ab Eupolide Aristophanem non exhaustum esse recte coniciamus. Nam si quid exscripsisset, aut nonnullos versus aut partem aliquam confectam furatus esset. Sed tale furtum, quale Aristophanes collegae supponit, ei subicere vesanum est. Potius ob id Eupolidis verbis a se illum in componenda fabula adiutum esse fidem tribuimus neque ei valde succensemus, quod in Maricantem, fabulam suam tertio anno post actam, suos versus, etsi antea Aristophani donaverat, ut ipse dicit, inseruit. Nempe non solum hos versus consentientes, sed totam parabasim alteram Eupolis Equitibus inserendam Aristophani dederat.

Pars horum versuum ei idonea videbatur, quam in Maricantem transferret. Cum in hac comoedia Hyperbolus exagitetur, illius parabasis eam partem repetivit, qua Hyperbolum ignominia affecerat. Epirhematis Aristophanei versus in alium hominem, Ariphradem, scripti erant; sed postremi duo versus

ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα μὴ σφόδρα βδελύττεται,
οὔ ποτ' ἐκ ταὐτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου,

qui ad fabulam apta erant, siquidem Maricantis quoque epirhemate alicui obtrectabat, et ipsi translati sunt [1]). Kirchhoffius (zu Aristophanes, Hermes 13, p. 288) quaestionem addit, utrum Eupolis Aristophani hanc parabasim donaverit, ut lacunam expleret inter secessionem Populi veteris et reditum iuvenilis, an Aristophanes, ut Eupolidem honore afficeret, eius versus in Equites inseruerit et idcirco argumentum comoediae continuaverit. K. hanc sententiam probat ultimam comoediae partem in fabula componenda non provisam sed postea additam [2]) esse existimans, cum malus sit contextus huius exordii et reliquae fabulae. Praedicat enim personam botularii miro modo mutatam

[1]) Quamquam hac interpretatione nondum omnia explanata esse concedo. Nisi forte Aristophanem verbis

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς

mentitum esse existimamus. Praeterea illi vix exprobrare potuit eum e Phrynicho quoque hausisse, nisi quid veri in re esset. Accedit quod Eupolis Hyperbolum inscitiam suam profitentem fecit, ut Quintilianus prodit I, 10, 18 (fr. 193): ‚Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex musicis scire nisi litteras confitetur', prorsus ut Aristophaneus ille ἀλλαντοπώλης (Equ. v. 188): Ἀλλ' ὦγάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς,
ita ut Bergkius (355) Eupolidis verba tali modo fingeret:

Οὐδὲ μουσικῆς ἐπίσταμαι | πλὴν γραμμάτων;

altera igitur ambarum fabularum similitudo notatur.

[2]) In incerto relinquit, utrum ultimae post parabasim scenae huius adiectae Eupolis mentionem fecerit an eius auctor Aristophanes fuerit.

esse p. 295: „Der Beichtvater Agoracritos fällt dabei vollständig aus der Rolle und erscheint nicht als der ausgemachte Lump, der er ist und sein musste, sondern, wie die ihm plötzlich überwiesene Rolle es allerdings verlangt, als höchst ehrenwerter Patriot.“ Sed m. s. post exordium perfectum parabasis ad supplendum inserta est. Ego quoque non decernam, utrum ipsius an Eupolidis impetu Aristophanes id exordium addiderit. Sed mihi in promptu est, quod K. neglexit, quanam de causa hoc ultimum adiectum sit. Aristophanes eo quod Populo pro Paphlagonio hominem magis improbum comitem dedit huicque Populum confidere fecit, Athenienses lacessivit. Ut hanc mitiget contumeliam, Agoracritum non tam malum esse, quam simulet, ostendit eoque iram et odium in Atheniensium pectoribus oriri non sinit.

Una materies a poetis comoediae antiquae saepe tractata ob id ipsum ad iterandum facile pellicit: bonorum abundantia, quam nos ex fabulis, quae aguntur ‚über das Schlaraffenland‘ novimus quamque veteres et ipsi scripserunt quasi de temporibus diu praeteritis. Complurium comicorum descriptiones Athenaeus VI, 267 e—270 a collegit, quas adferre longum est. Quin hi singuli eiusdem argumenti sermones affines sint inter se, nemo erit, qui dubitet. Tamen hunc auctorem vel illum ad collegae opus se accomodasse brevi ex quaestione cognoscetur. Scrutatio levatur eo quod Athenaeus quo ordine compositae sint, fabulas illas enumerat (268 e ἐχρησάμην τῇ τάξει τῶν δραμάτων ὡς ἐδιδάχθη καὶ . . . ἀπομνημονεύσω κατὰ τὴν τάξιν καὶ τὰ τοῖς ἄλλοις εἰρημένα ποιηταῖς). Hic est ordo: Cratini Πλοῦτοι, Cratetis Θηρία, Teleclidis Ἀμφικτύονες, Pherecratis Μεταλλῆς, Nicophontis Σειρῆνες, Metagenis Θουριοπέρσαι. Quarum primo oculos in se convertunt propter similitudinem Teleclidis Pherecratisque fragmenta. Totum schema utriusque idem est: fuse lateque iusto longius singula enumerantur, nisi quod Pherecratis ecloga etiam latius extenta est, quod imi-

tatoris esse solet. Sed loci quoque singuli produnt imitatorem. Eandem narrationem respicit Telecl. 1 v. 8 ζωμοῦ δ' ἔρρει παρὰ τὰς κλίνας ποταμὸς κρέα θερμὰ κυλίνδων
et Pherecratis 108 v. 3

ποταμοὶ μὲν ἀθάρης καὶ μέλανος ζωμοῦ πλέῳ [1])
διὰ τῶν στενωπῶν τονθολυγοῦντες ἔρρεον
αὐταῖσι μυστίλαισι καὶ ναστῶν τρύφῃ.

Imitator rem in maius extollit (scribit ποταμοὶ pro ποταμός, ἀθάρης καὶ ζωμοῦ pro ζωμοῦ) et mutat (pro κρέα scribit ναστῶν τρύφῃ et addit μυστίλαις).

Signum imitationis prae se ferunt Telecl. eclogae
v. 10 ὥστ' ἀφθονία τὴν ἔνθεσιν ἣν ἄρδοντ' ἁπαλὴν καταπίνειν
et Pherecratis v. 6 ὥστ' εὐμαρῆ . . . τὴν ἔνθεσιν χωρεῖν.
Telecl. v. 12 ὀπταὶ δὲ κίχλαι μετ' ἀμητίσκων εἰς τὸν φάρυγ' εἰσεπέτοντο
et v. 5 περὶ τοῖς στόμασιν τῶν ἀνθρώπων ἱκετεύουσαι καταπίνειν
Pherecrates coniunxit
v. 22 ὀπταὶ κίχλαι γὰρ εἰς ἀνάβραστ' ἠρτυμέναι
περὶ τὸ στόμ' ἐπέτοντ' ἀντιβολοῦσαι καταπιεῖν.

Indicia igitur imitationis satis elucent. Pherecratem ex aequali hausisse ordine fabularum ab Athenaeo tradito constat. Is quoque vestigia abscondere conatus est; ex. c. nulla fere vocabula, sententias solas deprompsit addiditque novum: scenam enim ad inferos transtulit (cfr. vv. 7; 25).

Multo grandius ac vividius Cratinus ac Crates rem exposuerunt. Quorum de operibus aemulum inferiorem Teleclidem et ipsum degustasse negari vix potest. Cratini descriptio propria et ad imitandum minus apta est:
fr. 165 ὅτε τοῖς ἄρτοις ἠστραγάλιζον, μᾶζαι δ' ἐν ταῖσι παλαίστραις
Αἰγιναῖαι κατεβέβληντο, δρυπεπεῖς βώλοις τε κομῶσαι.

Tamen Teleclides eos compilavit et infirmiorem praebet nobis suffusionem

[1]) ποταμοὶ . . . | ζωμοῦ μέλανος . . . | . . ῥεύσονται in eiusdem auctoris (fr. 130 v. 4) alia quoque fabula, Πέρσαι, legitur.

fr. 1, v. 14 μήτρας δὲ τόμοις καὶ χναυματίοις οἱ παῖδες ἂν ἠστραγάλιζον. Item Cratetis vivida descriptio (fr. 14)

v. 9 ἰχθύ, βάδιζ'. ἀλλ' οὐδέπω 'πὶ θάτερ' ὀπτός εἰμι.
οὔκουν μεταστρέψας σεαυτὸν ἁλὶ πάσεις ἀλείφων;

ad imitandum pellexisse videtur Teleclidem

in v. 6 οἱ δ' ἰχθύες οἴκαδ' ἰόντες
ἐξοπτῶντες σφᾶς αὐτοὺς ἂν παρέκειντ' ἐπὶ ταῖσι τραπέζαις. —

Metagenis fabula Θουριοπέρσαι suspicionem aliquam excitat, cum in Pherecratis Πέρσαις quoque descriptionis τοῦ ἀπράγμονος τόπου vestigia praesto sint. Num quid Nicophon imitatus sit, in fragmentorum exiguitate nequit intellegi.

Defleximus paulatim hoc modo ad fabulas totas observandas; ad titulos primo animum attendimus; saepissime enim eaedem comoediae illius atque huius auctoris nominantur nonnullaque ad nostrum propositum apta ad lucem proferri posse satis apparet. Hoc convenit cum ad alias fabulas tum ad eas, quae mediae comoediae, quod attinet ad argumentum, appropinquantur. Praecipue apud comicos, Aristophane paullo recentiores, tales tituli repetuntur, quales sunt: Ἄδμητος, Ἄδωνις, Ἀταλάντη, Ἀφροδίτης γοναί, Βάκχαι, Δανάη, Ἰώ, Μήδεια, Σειρῆνες, Λάκωνες, Λήμνιαι, Ποιητής, Πρέσβεις. Si fabulae duae vel plures eodem titulo sunt inscriptae, facile suspicamur alterum poetam alterum imitatum esse. Titulis autem solis hoc probare non possumus, sed etiam fragmenta sunt adsumenda. — Quam facile solis titulis confidens errares, hoc exemplo ostendatur, quod clarissimum ex media praesumptum comoedia mihi ignoscatur. Exstant duo fragmenta Equitum Antiphanis, quibus poeta describit, quam scite Equites in expeditionibus bellicis ea quae desint, commodorum vitae domesticae expleant (fr. 109). Alexidis fabula est Ἱππεύς, in cuius fragmento magno illuditur Academia (fr. 94), in duobus aliis de poculis verba

faciuntur[1]) (fr. fr. 95. 6). Hanc uterque poeta fabulam novam confecit neque quidquam ex veteriore eiusdem tituli excerpsit. — Quam ob rem me continebo in iis, in quibus aliquid utile me ostendere posse arbitror, praeterea breviter notabo, quas viri doctissimi coniecturas tentaverint.

Ex magno titulorum parium numero primo adferam Plutum Archippi et Theopompi Pacem, quibus titulis inscriptae Aristophanis comoediae exstant. Simul iis monstrari potest, quam multa nos fugiat, quod reliquiae nobis responsum non reddunt. Ex fragmentis Pluti[2]) hoc unum efficias hominem in ea repraesentatum esse, qui ex paupere repente dives factus est.[3]) Num aliis Aristophaneae fabulae affine fuerit huius argumentum, nullo pacto intellegi potest. Audacius enim contendit Kaibel (Hermes 24 p. 55): „Sein Plutus hat, wie auch Kock bemerkt, nicht nur den Titel mit dem aristophanischen Stück gemein, fast allen 5 Bruchstücken lässt sich ungefähr ihr Platz in einer der aristophanischen ähnlichen Handlung anweisen." [4]) — Pax quoque Theopompi similis sine dubio fuit Aristophaneae, ut Kockius (p. 735) censet. Sed recte Meinekius (I, 240) hanc similitudinem definiit: „Εἰρήνη, qua fabula ad Aristophanei dramatis exemplar pacem a poeta civibus suis commendatam fuisse e fragmentis intelligitur." (cf. potissimum Theop. fr. 7:

ἡμᾶς δ' ἀπαλλαχθέντας ἐπ' ἀγαθαῖς τύχαις
ὀβελισκολυχνίου καὶ ξιφομαχαίρας πικρᾶς).

---

[1]) Quorum omnium nempe nihil in Aristophanis Equitibus reperitur. Cuius argumento fabulae vere antiquae, politicae, poetas mediae uti non potuisse luce clarius est.

[2]) praecipue ex fr. fr. 37 et 39.

[3]) Mein I, 208.

[4]) K. enim plus iusto supponit Archippo, si ex. c. fr. 37

νῦν ὡς ἐγενόμην χρημάτων ἐπήβολος

interpretatur: „über die Zudringlichkeit seiner Nachbarn klagt der reich gewordene Chremylos".

Magnam movent suspicionem Κόννος et Κωμασταί fabulae, quae et Phrynichi et Amipsiae inter paucos utriusque titulos servatos traditae sunt. Connus est citharoedus nobilissimus Socratisque in ea arte magister. Utriusque hanc fabulam fuisse constat ex fragmentis, quae illius huiusque ad nos venerunt. Fere eodem tempore uterque fabulam suam docuisse videtur, cum Phrynichus paulo maior esset, Amipsias autem iam a. 423 secundo loco Conno vinceret (Arg. Arist. Nub. V). — Valde autem dolendum est ne Comissatorum quidem Phrynichi nos scire annum, quo data sit fabula. Amipsiae enim comoedia eodem anno quo Aristophanis Aves in scena acta est palmamque tulit. Tamen nullum fragmentum exstat. Itaque Bergkius (369. 70) ingeniose non Amipsiam sed Phrynichum auctorem esse coniecit, qui cum duas fabulas composuisset, Monotropum [1]) et Commissatores, lege autem vetitum esset comicum aliquem duas simul comittere fabulas alteram dedisse Amipsiae, ut suo nomine doceret. At nondum hoc modo quaestio soluta est. Recte etsi pergit Bergkius in didascaliis quidem istam comoediam consignatam esse Amipsiae nomine, tamen quae eius (apud Fritzschium, Quaest. Arist. I, p. 322) Meinekius I, 155 adfert, non probo: 'sed verum auctorem statim innotuisse; unde grammaticos, quae ex Commissatoribus proferant, ea Phrynicho tribuere.' Abhorret enim ab hac sententia argumentum Avium quo Aristophanem Avium auctorem innotuisse ostenditur, cum Ὄρνιθες διά Καλλιστράτου datas esse nuntietur, quoque simul apparet Phrynichum non pari modo Comissatorum huius fabulae auctorem notum fuisse; pergit enim argumentum: ἦν πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς pro Φρύνιχος πρῶτος ἦν Κωμασταῖς, ἐδιδάχθη δι' Ἀμειψίου. Notum esse Atheniensibus potuit Aristophanis esse opus praecla-

[1]) Argum. Arist. Av. I: ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου ἄρχοντος διά Καλλιστράτου ἐν ἄστει, ὃς ἦν δεύτερος τοῖς Ὄρνισι, πρῶτος Ἀμειψίας Κωμασταῖς, τριτος Φρύνιχος Μονοτρόπῳ.

rum, quod a Callistrato[1]) docebatur. Sed eos scivisse fabulam ab Amipsia poeta clariore doctam a Phrynicho aemulo compositam esse credamus? Et Phrynichum et Amipsiam fabulam hoc titulo inscriptam composuisse ex iis quae disputavi constat, etsi miramur, quod alterius fragmenta nulla exstant[2]). Haec Kaibelii quoque est sententia (Hermes 24, p. 43 Anm. 1): „Von Phrynichus und Ameipsias gab es je zwei gleichnamige Stücke, die Κωμασταί und den Κόννος, von denen Bergk das erstere aus ganz nichtigen Gründen dem Ameipsias abgesprochen hat.“ Et dolemus, quod hic quoque perspicuum non est, num alter alterius fabulam exscripserit[3]).

Sed si poeta aliqui alius vestigia institit, eum suas fabulas, in quibus haec ex aliorum comoediis excerpta inseruit vel quas ipse totas repetivit quasi suas, potius alio titulo inscripto, quam eo, quo prior auctor usus erat, edidisse recte censebimus. Etsi plura in his indagandis nobis eo semper ignota erunt, quod ne ex titulis quidem aliquid lucri habemus, contra meliore sumus in causa: neque enim tam facile ad vestigium falsum sequendum pelliciemur, quam in titulis paribus. — Nonnumquam paris generis tituli indicia gravia sunt. Inter quos praeter omnes memoranda est Archippi Ἰχθύες, qua de comoedia recte iudicavit Kaibelius (H. 24, p. 49 sq.): „Was aber dieselben (die Fische) der alten Kritik besonders anstössig machen konnte, ist die Tatsache, dass der Dichter hier nach berühmtem Muster gearbeitet hatte: Die Fische sind eine Nachahmung von Aristophanes Vögeln.“ Utraque fabula inscripta est bestiae nomine, in utraque

---

[1]) Aut omnino poeta non erat, aut satis obscurus; fragmenta enim Callistrati comici non exstant.

[2]) Talia interdum accidunt. Nullae sunt reliquiae Antiphaneae fabulae Οἰωνιστής, quam totam surripuisse Menander et in celeberrimam suam Δεισιδαίμονα mutavisse dicitur.

[3]) Quamquam nimis conicere noli Epicharmi quoque ludum hoc titulo inscriptum fuisse considerans.

comoedia hae bestiae chori agunt partes[1]), et aves et pisces civitatem sibi condunt. Archippus res piscium, ut Aristophanes avium, Atheniensium ad res accommodat, quod Kaib. pag. 50 sq. fusius demonstravit. Sed non solum argumento in universum, sed etiam duobus locis singulis Archippus clariorem imitatus est collegam. In Aristophanis versibus 1077—83 chorus avium inimico suo, Philocrati aucupi, maledicit eiusque mortis mercedem promittit:

ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Φιλοκράτη τὸν Στρούθιον,
λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντά γ' ἀγάγῃ, τέτταρα,
ὅτι συνείρων τοὺς σπίνους πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τοὐβολοῦ,
εἶτα φυσῶν τὰς κίχλας δείκνυσι καὶ λυμαίνεται κτλ.

Similiter invehitur in Piscibus chorus piscium, ut videtur[2]), in Hermaeum, piscium hostem:

fr. 25 Αἰγύπτιος μιαρώτατος τῶν ἰχθύων κάπηλος
Ἑρμαῖος, ὃς βίᾳ δέρων ῥίνας γαλεούς τε πωλεῖ
καὶ τοὺς λάβρακας ἐντερεύων, ὡς λέγουσιν ἡμῖν.

Praeterea aliud Archippus ex Aristophanis comoedia mutuatus est: Athenaeus VIII, 343 c refert (fr. 28) ἐν τοῖς Ἰχθύσιν Ἄρχιππος τῷ δράματι ὡς ὀψοφάγον (Μελάνθιον) δήσας παραδίδωσι τοῖς ἰχθύσιν ἀντιβρωθησόμενον. Itemque minantur aves (v. 1084):

. . . κεἴ τις ὄρνιθας τρέφει
εἰργμένους ὑμῶν ἐν αὐλῇ, φράζομεν μεθιέναι.
ἢν δὲ μὴ πίθησθε, συλληφθέντες ὑπὸ τῶν ὀρνέων
αὖθις ὑμεῖς αὖ παρ' ἡμῖν δεδεμέναι παλεύσετε.

Archippi ludum clarissimum nihil nisi Avium imitationem esse nemo non cognovit. Sed de reliquis non consentio cum Kaibelio, qui Archippum non solum h. l. sed etiam aliis collegarum vestigia pressisse sibi persuasit (l. s. c. p. 54): „Archippos, der offenbar mehr ein nachschaffendes, als ein selbstschöpferisches Talent war, hat sich nicht auf die eine Komödie des Aristophanes, die Vögel, beschränkt.“ Eum

[1]) fr. 29 ἄνδρες ἰχθύες. Et repraesentant hi bestias ut aves, non heliastas, ut vespae, neque nomen solum fabulae dant, ut ranae.

[2]) Sane Kockius notat tetrametros iambicos epirhemati quidem non convenire.

de Archippi Pluto celerius iudicasse iam antea monstravi; nunc breviter refellam, quae ipse (p. 54 adnot.) adnotavit eumque secutus de Salis (p. 43 sq.) de Archippo Epicharmi imitatore disseruit. Archippi fabulam Ἡρακλῆς γαμῶν inscriptam in eodem versari argumento, quo Epicharmea Ἥβας γάμος concedo, cum tituli patefaciant. Quod Epicharmus et Archippus epularum apparatum descripserunt, non miror; saepissime talia in comoedia Attica, praecipue in media investigantur, quippe cui haec Archippi fabula appropinquat. In his vero solum similitudo sita est. Enumerationem apud Archippum Epicharmi rationem habuisse nullo est numero; singulas enim delicias asyndetice nominari Archipp. fr. 12 νήστεις, κεστρέας, κεφάλους non solum est Epicharmi, sed cum antiquorum, tum omnium fere mediae novaeque comoediae usus (Cratin. 161, Eupol. 312, Arist. 569, Antiph. 132, 133, 142, Anaxandr. 41 etc.); et S. ipse verbis „enumerationes illas escarum molliicularum in Atticae comoediae fabulis percrebras“ irrita facit, quae monstrabat. Sed quibus Kaibelius utatur argumentis dictorum suorum: „Die Überreste, so geringfügig sie sind, weisen alle auf ähnliche Situationen?“ Equidem non video. De tertio exemplo erit oratio, cum de Platone disseremus.

Sed revertamur, unde aberravit oratio. Interdum iudicium falsum fit, etsi non titulis paribus, ut fallamur, commovemur. Ut Kockius argumentum fabulae Γρᾶες Pherecratis aliquam similitudinem habere cum Senectute Aristophanis putat, si fr. 35 recte ad illam fabulam Meinekius rettulit: πάλιν αὖθις ἀναθύουσιν αἱ γεραίτεραι [1]).
K. sive M. interpretantur verbum ἀναθύειν non ea vi, quae est usitata ‘darauflosstürmen’ vel ‘auffahren’, sed ea, quam Hesychius dat: ἀναθύειν· ἀνασκιρτᾶν καὶ αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἀνανεάζειν. Huic autem loco solam hanc significationem aptam esse nemo contendet. Deinde ex hoc uno versu, etsi Pol-

[1]) Comoediae Γῆρας argumentum, ut iam diximus, hoc est: Senes exuta senectute iuventutem recuperant.

lucis significationem laudamus, totius ludi argumentum interpretandum non est. Conferatur enim, quam variae sint scenae fabularum apud Aristophanem; saepe argumenti cuiusdam forma et species solum adumbratur paucis.

Tamen Pherecratem aliquid valuisse apud Aristophanem haud abnuerim. Comoediae enim illius Κραπάταλοι scena est Orcus[1]), qui etiam in maxima Ranarum parte; ibi Aeschylus in scenam procedit et de arte sua gloriatur (schol. Ar. Pac. 749 [748 Dind.]): καὶ Φερεκράτης ἐποίησε τὸν Αἰσχύλον λέγοντα ἐν τοῖς Κραπατάλοις·

fr. 94 ὅστις γ' αὐτοῖς παρέδωκα τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας.

sicut in Ranis 1013 sqq., 1025 sqq. Nonne fortasse hoc studio Aristophanem excitatum esse arbitrabimur? Accedit, quod versus nonnulli utriusque similes adferri possunt, quos Cobetus (obs. crit. in Plat. com. p. 64) collegit, ut hoc 'fortuito' consensu Pherecratis Aristophanisque comparato plagii crimine Platonem absolveret. Neque enim esse tam „nobilis Attici poetae — sive Pherecratis sive Aristophanis — voculas et dictiones alii clam sublegere". Sed res pro se ipsa loquatur. Pherecratis fragm. 94 antea commemoratum

ὅστις γ' αὐτοῖς παρέδωκα τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας

a scholiasta adscriptum est ad Aristoph. Pacis versum 749

ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας

propter similitudinem, ut mihi videtur. Pherecratis ex Metallicorum longae eclogae (fr. 108) versum 29

ἠβυλλιῶσαι τὰ ῥόδα καὶ κεκαρμέναι

conferas cum Aristophanis ex Ranis versu 516

ἡβυλλιῶσαι κἄρτι παρατετιλμέναι,

in quibus verbum rarum et apud hos poetas solos inventum retinetur, alterum alio eiusdem significationis verbo compensatur. Tum Pherecratis fr. 185

Ὁ χορὸς δ' αὐτοῖς εἶχεν δάπιδας ῥυπαρὰς καὶ στρωματόδεσμα[2])

paulo solum differt ab Aristophanis fr. 253

---

[1]) λέγει δὲ τὸν μὲν κραπαταλὸν εἶναι ἐν ᾅδου δραχμήν.

[2]) Ceterum rettulit Meinekius hoc fragmentum ad Crapatalos.

Ὁ χορὸς δ' ὠρχεῖτ' ἂν ἐναψάμενος δάπιδας καὶ στρωματόδεσμα.
Ex his exemplis contra Cobeti sententiam alterum furatum esse mihi constat. Suspicio igitur est haud infirma a Pherecratis Crapatalis fundamentum petivisse Aristophanem[1]), qui minor natu — quartum post Pherecratem locum habet in victorum catalogo urbanorum (ed. Wilhelm p. 107), quamquam praemature vicit — in posteriore fabula sua hoc argumento collegae maioris usus est.

Nonnullarum fabularum aliarum argumenta paria commemoro. Eadem narrantur et in Cratini Nemesi[2]) et in Aristophanis Daedalo; Iuppiter in olorem conversus Nemesim dormientem oppressit, quae postea ovum procreavit, ex quo nascitur Helena, ὥς φησι Κρατῖνος ὁ ποιητής (Eratosth. Catast. 25; schol. German. Phaen. 273) [Δαιδ. fr. 184. 5][3]). — Pherecratis Tyrannis fortasse γυναικοκρατία quaedam intellegenda est, qualem in Ecclesiazusis finxit Aristophanes. Fragmento 143 aliquis feminis maledicit:

1 εἶτ' ἐκεραμεύσαντο τοῖς μὲν ἀνδράσιν ποτήρια
πλατέα . .
4 σφίσι δέ γ' αὐταῖσιν βαθείας κύλικας ὥσπερ ὁλκάδας·

Sin autem ex titulo et hac ecloga recte fabulae totius hoc argumentum enucleavimus, haec valde differt ab Aristophanea fabula, qua dominio feminarum omnia ad meliora verti monstratur. — Aristomenes in Διονύσῳ ἀσκητῇ Eupolidis in Taxiarchis exemplum secutus esse videtur. Schol. enim Ar. Pac. 347 tradit: καὶ Διόνυσος[4]) ἐν Ταξιάρχοις παρ'

[1]) Consentit mecum Kaibelius (Hermes 24, S. 45): „. . ., wie ja auch Aristophanes die Grundidee seiner Frösche den Κραπάταλοι des Pherecrates entlehnt zu haben scheint."

[2]) de Iovis Ledaeque, quae vulgaris est opinio, concubitu Aristophanes id fabulatur.

[3]) et Platonis fabulae argumentum Aristophaneae similem fuisse Clementis locus Strom. 6, 753 Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται indicat, de quo postea latius erit disputandum.

[4]) Sane Διόνυσος Meinekii coniectura ex Διονύσιος, quod habent schol. Ar. Pac. 347 et Suidas (Φορμίων), probanda est, cum nomen personae in comoedia saeculi quinti Διονύσιος inusitatissimum esset.

Εὐπόλιδι μανθάνων παρὰ τῷ Φορμίωνι τοὺς τῶν στρατηγῶν καὶ πολέμων νόμους φησίν. Apertum igitur est deum mollem et effeminatum in ferendis militiae laboribus Phormione magistro se exercuisse, ut idem in Aristomenis ludo in duris athletarum laboribus versatus est (Mein. I, 144. 212). In his suspicionibus iam acquiescendum nobis est. Sed sunt differentia harum fabularum politicarum ampliora, quam communia. Plutarchi testimonio Pericl. 3 Περικλέα . . . προμήκη δὲ τὴν κεφαλὴν . . . ὅθεν Κρατῖνος ἐν Νεμέσει (fr. 111):

μόλ', ὦ Ζεῦ ξένιε καὶ μακάριε

Periclem hac fabula maxime exagitatum esse constat ita ut Bergkius (p. 130) totam comoediam adversus Periclem scriptam esse coniceret; significabatur igitur Iovis nomine Pericles, Nemesis appellatione Aspasia[1]). Daedalum Aristophanis posterioribus fabulis viri docti adnumerandam putaverunt, ex quo contra Periclem nihil in ea scriptum esse apparet. Similiter ex titulo Taxiarchorum Eupolidis et nomine Phormionis elucet comoediam contra viros in re publica versantes scriptam esse; in Aristomenis fabula nullum indicium invenitur personas publicas a poeta vexatos esse.

Simillimum fuit argumentum Phrynichi Musarum et Ranarum Aristophanis: certamen enim de artis tragicae principatu ille quoque instituisse videtur, sed inter Sophoclem et Euripidem. Certationem in hac comoedia decretam esse ostenditur fr. 32

ἰδού, δέχου τὴν ψῆφον· ὁ καδίσκος δέ σοι
ὁ μὲν ἀπολύων οὗτος, ὁ δ' ἀπολλὺς ὁδί[2]).

Sophoclem huic certamini interfuisse concludo ex fr. 31,

---

[1]) Quae Thiemii quoque sententia est: Quaestionum comicarum ad Periclem pertinentium capita tria, Diss. Lipsiae 1908 p. 25.

[2]) Totam hanc argumentationem vacillare et claudicare mihi conscius sum. Euripidis, adversarii a Meinekio, quem secutus sum, ficti, personae nusquam indicium est. Frg. autem 32 in aliud certamen se pertinuisse quis refutet? Nos fortasse ex his versibus demum hanc inter tragicos certationem construximus. Sane titulo comoediae ad hanc opinionem facile commoveri poteramus.

quo is laudibus celebratur, cum in Ranis (v. 787) strictim commemoretur. Itaque Bergkio assentior dicenti (p. 376) a Phrynicho ‘utrumquem poetam sub iudicium vocatum esse videri, ut uter utro maior palmaque dignior esset tandem aliquando decerneret’; quod si verum est, huius et Aristophanis fabulae argumentum in idem redeunt. Alter alterum imitando consecutus esse non potest, cum eodem anno iisdemque ludis fabulae ambae datae sint[1]). At ultro utrumque in certamen poetarum principum fingendum incidisse vix crediderim, etsi mors recens Euripidis et Sophoclis, quae theatrum Atticum tragicis magnis privatum reliquit, tali sententiae faverit. Haud scio an ex pacto eandem materiem, quae tum quidem aptissima erat, aggressi sint, ut ‘uter utro maior palmaque dignior esset, tandem aliquando decerneretur’.

Iis, quae de Platone comico disputabimus, duo proponimus exempla, quae illam quoque quaestionem illustrant. Metagenis duas fabulas Αὖραι et Μαμμάκυθος fuisse Suidas tradit. Sed nullo alio ex loco hoc concludi potest, nisi ex Athenaei VIII, 355 a ἐκ Μαμμακύθου ἢ Αὐρῶν Μεταγένους ἰαμβεῖον; quem locum ita interpretatus est Meinekius (p. 218 sq.), quasi sit una comoedia duplici titulo inscripta Αὖραι ἢ Μαμμάκυθος: „A. et M. quae apud Suidam singulae commemorantur ad unius fabulae titulum ita sunt coniungendae, ut scribatur A. ἢ M.“ et egregiae ceteris partibus de tota quaestione disputationi suae praeponit hanc sententiam, qua sensus totius loci aliqua ex parte perturbetur. Ut enim ipse statim ostendit, scrupulum inicit alius Athenaei locus XIII, 571 b κατὰ τὰς Μεταγένους Αὔρας ἢ τὸν Ἀρισταγόρου Μαμμάκυθον. Itaque si duplici titulo inscripta fuisset Metagenis fabula, Athenaeus hoc modo utriusque poetae fabulas discrevisset. Deinde nusquam praeter illum Athenaei locum Metagenis Μαμμάκυθος

[1]) cfr. argument. Aristoph. Ran.: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου . . . εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν. Φρύνιχος δεύτερος Μούσαις . . .

citatur; eum igitur duas fabulas, A. et M. docuisse ex iis, quae antea memoravi, verisimile non est. Meinekium secutus inter verba Ath. 355 a nomen Aristagorae inserendum verbaque sic interpretanda esse mihi videor, ut Aristagoras fabulam, quam Metagenes nomine Αὖραι docuerat, retractaverit et Μαμμάκυθος nomine inscripserit. Num duo illa fragmenta, quod Kockius fecit, utrique poetae attribuenda sint, in incerto relinquam.

Cratinum inter graecos comicos sectatores habuisse iam antea ostendimus, quod in tanta ingenii artisque praestantia non mirum est. Iam cognovimus eius imitatorem fuisse Teleclidem[1]) quin etiam Aristophanem in iis ponit Clemens Alex. Strom. VI, 751 (Pott): Ἀριστοφάνης δὲ ὁ κωμικὸς ἐν ταῖς πρώταις Θεσμοφοριαζούσαις τὰ ἐκ τῶν Κρατίνου Ἐμπιμπραμένων μετήνεγκεν ἔπη. Quamquam negari non potest haec verba incerta magnum inicere scrupulum. Totamne Cratini fabulam furatus est? Neque autem huic opinioni apta sunt verba τὰ ἐκ Ἐ. ἔπη μετήνεγκεν. An nonnullos solum versus vel pauca verba transtulit? Quod probari vix potest, cum hos ipsos non attulerit Clemens. Priusquam autem hoc condemnetur testimonium, componatur cum scholiastae loco ad Thesm. 215 (222 Dind.).

Μν: ἀτὰρ τί μέλλεις δρᾶν μ'; Ευ: ἀποξυρεῖν ταδί,
τὰ κάτω δ' ἀφύειν,

---

[1]) Cratetem quoque Cratini imitatorem putat Mein. I, 53, non iure, ut puto. Concludit enim ex Athenaei verbis in universum dictis 268 e Κρατίνου τὰ προκείμενα ἔπη καὶ οἱ μετ' αὐτὸν γενόμενοι μιμησάμενοι. quae verba in omnes illo loco enumeratos pertinere censeamus necesse non est. Cratini (fr. 165) et Cratetis (fr. 14) fragmentis comparatis (cfr. p. 32 sq.) ne minima quidem dubitatio restat.

Strattis quoque in hoc numero vix habendus est; neque enim ex his paucis verbis Cratini fr. 193 τοὺς μὲν ἐκ προχοιδίου τοὺς δ' ἐκ καδίσκου, quae apud Strattidem rursus leguntur fr. 22

Ἑρμῆς ὃν ἕλκουσ' οἱ μὲν ἐκ προχοιδίου
οἱ δ' ἐκ καδίσκου γ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένον

de iteratione concludam, praesertim cum haec verba speciem proverbii ferre mihi videantur.

qui addit ad ταδί· τὰ γένεια· ταῦτα δὲ ἔλαβεν ἐκ τῶν Ἰδαίων Κρατίνου. His vocibus Aristophanem vel scenam totam vel scenae partem ex Idaeis sibi sumpsisse significatur. Neque enim quisquam mihi persuadeat ‚ταῦτα' scholiastae pertinere in solum verbum ταδί. Clementi ea, quae tradit, non nota fuisse ex hoc scholio apparet [1]). Cobeto, qui Aristophanem huius plagii crimine liberare vult, cum illud Clementis credulitate ortum esse dicit, hoc scholion obstat; sed praeterit verbis magnificis p. 77: ‚Utinam integriora superessent criticorum scholia ad Ar. Thesm. 215. Nusquam apparerent, opinor, neque isti Ἐμπιμπράμενοι, neque Ἰδαῖοι, nedum Ἐ. ἢ Ἰ., quae . . . commentus est Dindorfius'. Talibus autem elogiis Cobetus non denegabit duo plagii Aristophanis testimonia diversa exstare, quorum alteri quidem quin confidamus fieri non potest. Ne rem copiosius persequamur, eo impeditur, quod fragmenta nulla Cratinearum fabularum ad nos venerunt.

Sed uni praecipue ex comicis antiquis exprobratur alienorum operibus non pepercisse in componendis suis, Platoni. Ante omnes Bergkius comicum furti arguit, aliique ut Meinekius (p. 168) cautius id ei vitio dant. Immo Cobetus nulla dubitatione Platonem sibi ab hac criminatione defendendum esse putavit (obs. c. 2, p. 55). Illorum, qui Platonem accusant, sententia nititur et in poetae reliquiis et in testimoniis veterum, qui iam eum in furti crimen vocabant. Ut igitur rem inquiramus, primo observabimus, quae poetae ipsius hanc suspicionem excitent. Versus nonnullos Athenaeus VII, 315 b c eius ex Cleophonte servavit:

fr. 56 σὲ γάρ, γραῦ, συγκατῴκισεν σαπρὰν
ὀρφῶσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βοράν.

---

[1]) Clem. ex Ἐμπιμπραμένοις, scholiasta ex Ἰδαίοις Cratini excerpsisse narrat. Sin autem, quod Dindorfius aliique putant, Ἐ. et Ἰ. una eadem fabula est, Clementem alio ac scholiastam titulo usum esse censeamus?

Breviter autem post (VII, 327 d) versus fere idem

ὀρφοῖσι σελαχίοις τε καὶ φάγροις βορά [1])

ex Amipsiae Conno (fr. 8) excerptus legitur. Kockius verbis 'sed risum movet, qui alterum alteri poetam talia surripuisse credit' totam rem se solvisse arbitratur. Hunc risum movere me non pudet. Num versu utrumque poetam uti potuisse Kockius negat? Num utrumque in eandem piscium nominum enumerationem eundemque enumerationis in ordinem argumento pari (βορά) incidisse verisimile est? — Et satis apparet Platonem ad Amipsiae exemplum se composuisse, quia ab Amipsia Connum doctum esse multo ante Platonis Cleophontem didascaliis [2]) ostenditur.

Fragmentum quoque Platonis

190 φείδεσθε τοὐλαίου σφόδρ᾽· ἐξ ἀγορᾶς δ᾽ ἐγὼ
ὠνήσομαι στίλβην τιν᾽, ἥτις μὴ πότις.

nonnullam sane habet similitudinem cum Hermippi fragmento 28 ἐξ ἀγορᾶς δ᾽ ἐγὼ
ὠνήσομαι λύχνον τιν᾽ ἢ στίλβην.

Similitudo posita est in duobus: verbum enim στίλβη rarum et hac vi solis locis duobus modo allatis legitur. Deinde verborum parium pariter ἐξ ἀγορᾶς δ᾽ ἐγὼ in fine versus, ὠνήσομαι initio alterius posita sunt [3]). Kockius Platonem furti accusatum recte a Cobeto defensum esse opinatur, qui in his ipsis exemplis Platonem furti suspicione liberare vult componendis illis, quae iam contemplati sumus, Aristophanis Pherecratisque fragmentis, quae indicia iterationis prae se ferre nullo modo negari potest.

---

[1]) ὀρφοῖς et βορά habet A, sed legit Kaibelius ut VII, 315 c etiam hic ὀρφῷσι et βοράν.

[2]) Didasc. Arist. Nub. V: Αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐν ἄστει ἐδιδάχθησαν . . . ὅτε Κρατῖνος μὲν ἐνίκα Πυτίνῃ, Ἀμειψίας δὲ Κόννῳ (423). Ar. Ran. I: Ἐδιδάχθη . . εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν. . . . Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι (405).

[3]) Hoc enim modo versus distinguendi sunt, ut hiatus ἐγὼ — ὠνήσομαι evitetur.

Evidentia sunt vestigia imitationis alio loco; in Platonis fr. 69, cuius adfero versus primos:

ἄνδρες δεδειπνήκασιν ἤδη σχεδὸν ἅπαντες. — — εὖγε.
— — τί οὐ τρέχων σὺ τὰς τραπέζας ἐκφέρεις; ἐγὼ δὲ
νίπτρον παραχέων ἔρχομαι. — — κἀγὼ δὲ παρακορήσων
σπονδάς δ' ἔπειτα παραχέας τὸν κότταβον παροίσω.
τῇ παιδὶ τοὺς αὐλοὺς ἐχρῆν ἤδη προχείρους εἶναι,
καὶ προαναφυσᾶν. — — τὸ μύρον ἤδη παράχεον βαδίζων
Αἰγύπτιον κᾆτ' ἴρινον.

et Philylii 3:

καὶ δὴ δεδειπνήκασιν αἱ γυναῖκες. ἀλλ' ἀφαιρεῖν
ὥρα 'στὶν ἤδη τὰς τραπέζας, εἶτα παρακορῆσαι,
ἔπειτα κατὰ χειρῶν ἑκάστῃ καὶ μύρον τι δοῦναι.

Haec simillima esse fragmenta Kockius concedit. Philyllius autem, non Plato imitator est. Hoc iam ex eo concludimus, quod Plato, poeta satis clarus, vix comici ignoti[1]) auxilio egebat. Et fragmentis ipsis comparatis haec sententia firmatur. Platonis ecloga vividior est dialogo, Philyllii uni personae solum attribui potest. Memorandum praeterea est ea, quae in altera de viris fabulantur, in feminarum conventum a Philyllio transferri[2]).

[1]) qui in Lenaeis unam reportavit victoriam; in catalogo victorum urbanorum lacunoso eius nomen non legitur.

[2]) Etsi dubitanter, tamen attribuit Kockius et Aristophani (fr. 40) et Platoni (fr. 14) versus: καὶ νὴ Δί' εἰ Πάμφιλόν γε φαίης
κλέπτειν τὰ κοίν' ἅμα τε συκοφαντεῖν,
quos scholiasta (Plut. 174) ex Platonis Amphiarao — ut in fr. 12 etiam in scholio titulus corruptus videtur recte Ἀφ' ἱερῶν restitutus esse a Bergkio et Meinekio — excerptos esse profitetur. Simul legimus apud Suidam: Πάμφιλος ἔκλεπτε τὰ τοῦ δήμου καὶ φωραθεὶς . . . κατελύθη, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, quae — hac re consentio cum Kockio — e solo Pluti versu

174 ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον (scil. Πλοῦτον) κλαύσεται;

derivata esse non possunt. Proxima autem Kockius non vidit; ut ex servatis illius temporis fabulis cognoscimus, Aristophanes iterum atque iterum in re publica versantes aggreditur; in comoediis quoque non servatis eum Pamphilo maledixisse et id opprobrium ei fecisse quis est, qui refutet? Inde Suidas eorum, quae profert, notitiam nactus esse potest.

Maior autem vis ad rem nostram elucendam loci alius est. Aristophanis adferuntur ex Daedalo versus

fr. 186 εὖ ἴστε· πολλαὶ τῶν ἀλεκτρυόνων βίᾳ
ὑπηνέμια τίκτουσιν ᾠὰ πολλάκις.

Quae verba Aristophanis esse testantur Athenaeus IX, 374 c, Photius, Suidas. Sed Platonis ea[1]) scholiasta ad Ar. Nub. 663 esse dicit. Quod testimonium καὶ ἐν τῷ Πλάτωνος Δαιδάλῳ Dobraeus huncque secutus Kockius ortum esse ex καὶ πάλιν ἐν Δαιδάλῳ (scil. Aristophanis) censent. Sed violentior esset haec coniectura. Fortasse ex vocabulo πάλιν mendo Πλάτων nominativus, genetivus Πλάτων-ος vix oriri poterat; praeterea eo quod Πλάτωνος inter ἐν τῷ et Δαιδάλῳ collocatum est, quae locatio πάλιν verbo non convenit, Dobraei sententia refutatur. Versus igitur utrique poetae adscribendi sunt. Cobetus et Dobraeus Daedalum a Platone scriptam esse omnino negant. Sed praeter scholiastae et Clementis locos, quem statim adferam, Platonis Daedalus etiam a Suida laudatur. Num hos omnes ex scholio tantum hoc compertum habere existimemus? Accedit, quod Clemens Al. Strom. VI c II, 26, 5 (Staehlin) narrat: Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται. Bergkius (p. 421) nullo de Clementis loco iudicio addito 'non tam Aristophanem, divinum poetam, quam Platonem, cui minor fuit ingenii ubertas, ista atque alia furtim' alteri surripuisse censet. Sed non tanta est differentia inter Aristophanis et Platonis apud veteres gloriam; hic quoque inter sex antiquae comoediae illustres poetas enumeratur[2]). Haec quidem argumentatio nulla est: interdum maior er minore, celeber ex minus claro hausit. Altera ex parte terminos excedit Cobetus, qui contendit (p. 67—79) Clementem hunc

---

[1]) pro ἐνίοτε lectione, quae una cum πολλαὶ et πολλάκις tolerari non potest, parva mutatione Porsonus ἂν ἴστε, Meinekius εὖ ἴστε correxit.

[2]) Κωμῳδιοποιοὶ ἀρχαίας ζ'. Ἐπίχαρμος, Κρατῖνος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης, Φερεκράτης, Πλάτων (Bibl. Coisl. III, p. 597).

locum et alios [1]) bona fide ad verbum ex Aristobuli Iudaei commentariis ad leges Moysis descripsisse, qui et ipse quo clarius res appareret, multos versus a semet ipso fictos pro Homeri aliorumque geminis impudenter carminibus supposuisset, ut Homerum aliosque furti insimularet, et nonnulla ipse quoque stulte furatus esset, inter quae etiam illa in comicos spectantia ex commentariis in comicos scriptis excerpsisset. Si autem ista non Aristobulo debentur, sed ex commentariis illis accepta sunt, iam his haec offertur furti criminatio — etsi, si Cobetum recte intellexi, sive corrupta ibi invenit, sive ipse depravavit —. Arcessita, quin etiam falsa mihi videtur Meinekii interpretatio (I, 169): „Quae (Strom. VI, c. II, 26, 5) paullo negligentius enuntiata sic haud dubie intelligenda sunt Platonem ex Aristophanis Daedalo nonnulla in suam eiusdem tituli fabulam transtulisse, Aristophanem autem rursus ex aliis Platonis fabulis suam Daedalum ditasse.“ Hanc enim interpretationem verba ἐν Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται non sinunt, solum de Platonis fabula Daedalus, non de aliis eius fabulis verba fiunt. Mihi haec sententia, quam propter incertam dictionem suspicionem aliquam movere confiteor, ambigua eo effecta esse videtur, quod Clemens, qui ex alio aliquo exscripsit, non ipse de re iudicare poterat. Quae ab altero dicta essent, ab altero esse surrepta videbat; nesciebat autem, utrum Aristophanes ex Platone, an hic ex illo furatus sit. Inscientiam igitur suam dicendi genere vago occultare conabatur. — Utrum autem imitatorem iudicemus? Hoc alio monstretur exemplo: Plutarchus Mor. 801 ab tradit: οἱ δῆμοι διὰ τρυφὴν καὶ ὕβριν ἢ βελτιόνων ἀπορίᾳ δημαγωγῶν χρῶνται τοῖς ἐπιτυχοῦσι, βδελυττόμενοι καὶ καταφρονοῦντες, εἶτα χαίρουσι τοιούτων

---

[1]) Totum exscripsi locum: Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς ἐν ταῖς πρώταις Θεσμοφοριαζούσαις τὰ ἐκ τῶν Κρατίνου Ἐμπιμπραμένων μετήνεγκεν ἔπη. Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται. Τὸν μέντοι Κώκαλον τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι τῷ Ἀριστοφάνους υἱεῖ, Φιλήμων ὁ κωμικὸς ὑπαλλάξας ἐν Ὑποβολιμαίῳ ἐκωμῴδησεν.

εἰς αὐτοὺς λεγομένων, οἷα Πλάτων ὁ κωμικὸς τὸν Δῆμον αὐτὸν λέγοντα ποιεῖ (squ. fr. 185): Plato quoque ut Aristophanes in Equitibus Populum personam iu scenam ducit demagogis eum adulantibus. Cobetus (p. 66) hic Platonem imitatorem esse concedit: „fieri potuit, ut lepidum aliquod et audax inventum arriperetur ab aliis, qui idem in alio argumento novis facetiis ornarent, quemadmodum inventus est ab Aristophane Δῆμος Πυκνίτης, δύσκολον γερόντιον, quem deinde produxerunt item alii, quod . . . est . . certum de Platone". Sane Platonem posteriorem Populi personam finxisse elucebit, ut puto, ex his: Athenienses eiusdem generis iocum, Populum personam et ab adulatoribus irrisum, brevi tempore intermisso iterum toleravisse vix credibile est. At si Platonis fabula prior fuisset, perpaucis annis ante Aristophanis docta esset. Equites enim hic a. 424 dedit, illum autem primam fabulam Ol. 88 (id est 428—5) docuisse testis est Cyrillus adv. Iulian I, p. 13B. Immo aliquanto post Aristophanem fabulam suam Plato dedit. Iure etiam ex Daedalo Aristophanis Platonem hausisse concludemus. Videntur tamen posterioribus utriusque poetae operibus adnumerandae esse: titulus mediae convenit comoediae eoque facilius explicatur, quod Plato imitatus est aemulum. Argumenta utriusque ludi paria fuisse verisimile est, complures quoque versus, quod ex uno fragmento nobis relicto intellegitur, ad verbum redintegrati erant.

Itaque Platonem ex aliorum operibus interdum libasse nemo erit, qui neget. Sed vicissim ex Platone alios et ipsos sumpsisse, quae sibi utilia viderentur, iam antea ostendimus aliisque monstrare exemplis conabimur. Archippi comoedia Ἀμφιτρύων non dissimilis fuit argumenti Νυκτὶ μακρᾷ Platonis, quae ea fuit, qua concepit Alcmena (cfr. Mein. I, 176, Cob. p. 120, Kock. I, p. 624). Scrupulum autem iniciunt tituli diversi, e quibus par elucet argumentum, praesertim apud poetam, quem et frigidum et ex collegarum fabulis sibi nonnulla arripientem compertum habemus. —

Incerta sunt, quae de nonnullis aliis Platonis fabulis suspicor. Impertivisse enim Platonem putat Meinekius aliis poetis de suis opibus fretus Platonis dicto fr. 99: Ἀρκάδας μιμούμενοι, quod a Suida explicatur: παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων . . . ταύτῃ δὲ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ. διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη. eodemque modo Eustathius 302, 32 (ἐκδιδόναι pro παρέχειν). His verbis censet Meinekius de sortis suae iniquitate conquestum esse Platonem, qui inopia pressus fabulas suas aliis vendiderit. Permira, ut Cobeto, mihi quoque haec interpretatio videtur. Quale enim fuisset iis, qui emerunt, lucrum, cum populus fabularum auctorem esse Platonem sciret? An existimemus eos, qui ipsi comici erant, pecuniam dedisse ob id solum, ut si fabula placeret a civitate victores significarentur, sed eos scire, si displiceret, ludibrio se aliis futuros esse? Enumerantur autem hi tituli (Μαμμάκυθος, Μύρμηκες, Συμμαχία) non solum Platonis, sed etiam aliorum ut Aristagorae et Canthari. Et facile putabimus nulla pecunia collegae maioris opera sibi sumpsisse minores, sed eo inscio ea expilasse.

Sic omnes in partes comoediam antiquam de iteratis perquisivimus. In hac sola id fieri potuit, cum huius magnus pro ratione numerus totarum fabularum exstet. Complura in his statui poterant de quibus in disputationis huius partibus sequentibus oratio esse non poterit. Multa ex alia fabula sua ipse auctor sumpsit. Quae iterata partim casu sunt effecta, partim poeta habet, quod iis spectatorum risum excitet. Sed non solum versus singuli, sed etiam plures, sententiae maiores, diversi modi argumenta in hac et illa fabula oculis se praebent. Talium, qualia sunt ἐκκυκλήματος irrisio, quo utuntur tragici, vel Telephi tragoediae parodia, ex antiqua tantum imaginem concipimus. Nonnumquam totae eiusdem poetae fabulae summa sententia consentiunt. Deinde perspeximus poetas et ex aliorum operibus hausisse, alios maiore, alios minore arte

ac sollertia. Hic quoque, etsi id Cobetus negat, et ad verbum repetita reperiuntur et eaedem sententiae similibus vocabulis efferuntur. Etiam accidit, ut poeta aliqui collegam in fabula componenda adiuvet; documento sunt lites inter Aristophanem et Eupolidem, quae ortae sunt, quia uterque parabasim ab hoc factam sed illi donatam sibi petebat.. Maiores partes ab altero ad litteram repetitas vel totarum fabularum διασκευάς, quales in media noscemus, in antiqua non invenimus. Interdum aliquis commovebatur, ut in magna quasi tabella solum collegae opus imitaretur; in eo fieri potuit, ut singuli exemplaris versus illaberentur in fabulam imitando expressam; quae comoedia, quod non miramur, alio ac prima titulo inscribi solebat.

Nullus fere poeta a collegis hoc modo „discere" veritus est, ne Eupolis Aristophanesque quidem ab hoc usu abhorruerunt. Huius praecipue undique imitationis vestigia apparent. Saepe ii auctores, qui imitati sunt vel exscripserunt, et ipsi ab aequalibus minoris ingenii direpti sunt. In numero eorum, qui alios expilant, habemus Platonem et Archippum.

III.

De mediae comoediae iteratis.

Quae sint differentia inter antiquam et mediam comoediam, iam antea memoravi. Praecipue autem illius fragmenta magis peculiaria sunt, quam huius, quae vulgaria et ob id ad imitandum aptiora sunt. Mediae sunt comoediae iterata inprimis crebra, quod monstrare nunc mihi curae erit.

Quod mediae potissimum comoediae auctores in hoc crimen incurrebant, ut, quae ab aliis poetis scite et eleganter dicta et inventa esse animadvertissent, ea in suum usum converterent, non difficile intellectu ei erit, qui considerat, quantus sit numerus fabularum, quarum auctores singuli mediae sunt poetae. Cratini 21, Eupolidis 14, Aristophanis 40 ludi numerantur, Antiphanis autem 260 (Suidas quin etiam aut 280 aut 365[1]), Eubuli 104, Alexidis 245. Accedebat, quod iis parva pro ratione materies data erat: Agit media comoedia sive tragoediarum parodias, sive invehitur in poetas, in musicae artis peritos, in philosophos, in meretrices. Deliberanti, quantus sit pro paucis reliquiis iteratorum numerus, quanto maior omnino hic numerus fuerit, elucebit. — Quo ordine iam antea usi sumus, eodem nunc propositum nostrum persequamur.

§ 1.

Initium capimus ex dictis a poeta ipso receptis. Antiphanes iocose loquitur ἐν Βουταλίωνι (fr. 68) de ἰχθύσιν ἀνθρω-

[1]) quorum sane pars poetae cognominis minori attribuenda videtur (cfr. Wilh. Urkunden 55, Kaibel Realencycl. I, 2521).

ποφάγοις·   . . . μαινίδας καὶ τριγλίδας . . .
τούτων φάγοις ἄν; =|= κἂν τις ἄλλος μικρὸς ᾖ.
τοὺς γὰρ μεγάλους τούτους ἅπαντας νενόμικα
ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς· =|= τί φῄς, ὦ φίλτατε;
ἀνθρωποφάγους; πῶς; =|= οὓς ἂν ἄνθρωπος φάγοι.

In fabulae Κουρίς fragm. 129, 5 sq. repetit verba

τούτους φάγοις ἄν; =|= τοὺς γὰρ ἄλλους νενόμικα
ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς,

pro verbis μεγάλους τούτους ἅπαντας unum ἄλλους scribens, quod sensus postulat. Utroque loco homo agrestis simplex magnas partes agere videtur. Cum persona (fr. 68) de ἀνθρωποφάγοις ἰχθύσι loquatur, ille stultus interrogat perterritus: τί φῄς, ὦ φίλτατε; ἀνθρωποφάγους; πῶς; et servus verbis iocosis ἀνθρωποφάγον lepide eum interpretatur, qui ab hominibus comedatur. Etiam in fr. 129 (v. 1 ὁ μὲν <ἐν> ἀγρῷ τρεφόμενος | θαλάττιον μὲν οὗτος οὐδὲν ἐσθίει) est adulescens ex agro nuper in urbem transvectus. Interrogat aliquis τούτους φάγοις ἄν, et respondet rusticus τοὺς . . ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. Vocabula sunt eadem; sed loci inter se differunt, quod illo alius aliquis agrestem perterret fabulans pisces magnos esse carniveros, hoc loco rusticus ipse dicit se pisces (alios) carniveros putare. Etiam deest in hoc fragmento iocus servi. Primo igitur loco poeta ingenium vendidat, altero non tam subtiliter scripsit. Eum fragmento 129 imitatum esse puto fragmentum 68 comparatis aliis locis, quibus iterata inferiora erant quam proposita exemplaria. — Athenaeus VII, 304 a, postquam attulit versus fragmenti 129, pergit: τούτων τῶν ἰαμβείων ἔνια ἔστιν εὑρεῖν καὶ ἐν Ἀκεστρίᾳ (fr. 23) καὶ ἐν Ἀγροίκῳ ἢ Βουταλίωνι [1]); in tertia quoque fabula proinde hos versus Antiphanes scripsit.

Athen. III, 103 e καὶ παρ' Ἀντιφάνει δ' ἐν Στρατιώτῃ ἢ Τύχωνι παραινέσεις εἰσφέρων ἄνθρωπος τοιοῦτός ἐστιν, ὅς φησιν· sequuntur 14 versus (fr. 204). τὰ αὐτὰ εἴρηκε καὶ ἐν Ὑδρίᾳ (fr. 213).

---

[1]) ex fabula Βουταλίων fragmentum 68 excerptum esse Ath. dicit VIII, 358 d. De his fabulis mihi postea dicendum erit.

Hanc eclogam qua ostendit aliquis: ἐν ἀσφαλεῖ esse hoc solum τῶν ὑπαρχόντων, quod sit ἐντὸς τῶν ὀδόντων, vel ipse vel spectantes tanti aestimasse videntur, ut totam repeteret.

Similiter iteratorum numerum haud parvum ex aliis fabulis congessi: Athenaeus X, 417 c profert ex Eubuli 'Europa' fr. 34 κτίζε Βοιωτῶν πόλιν

ἀνδρῶν ἀρίστων ἐσθίειν δι' ἡμέρας

et statim (417 d) versus fabulae Μυσοί addit

fr. 66 σὺ μὲν τὸ Θήβης, ὡς λέγεις, πέδον λιπών,
ἀνδρῶν ἀρίστων ἐσθίειν δι' ἡμέρας
ὅλης τραχήλους καὶ κοπρῶνος πλησίον,

quorum versus medius idem ac fragmenti 34 est. — Tum adfero Eubuli quattuor versus repetitos in fab. Νάννιον (fr. 67, 4 — 7) et Παννυχίς (fr. 84, 3—5; 7). Utraque fabula de meretricibus agi inscriptionibus demonstratur, in utraque idem versus

γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπὶ κέρως τεταγμένας,
ἐν λεπτοπήνοις ὕφεσιν ἑστώσας, οἵας
Ἠριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κηπεύει κόρας,
μικροῦ πρίασθαι κέρματος τὴν ἡδονὴν

inserti sunt, quibus deliciae describuntur, quae parvam in ea re pecuniam consumentem iuvenem exspectant.

Deinde commemoro Nicostrati versum ex fabulis Ἀντερῶσα[1]) (fr. 3) et Πάνδροσος (fr. 19) excerptum

μετανιπτρίδ' αὐτῷ τῆς ὑγιείας ἔγχεον.

Melius nobis praebent exemplum Anaxilae Πλούσιοι,

fr. 25 διαρραγήτω χἄτερος δειπνῶν τις εὖ,
μὴ Κτησίας μόνος. == τί γάρ σε κωλύει;
== δείπνου γὰρ οὗτος, ὥς λέγουσιν οἱ σοφοί,
ἀρχήν, τελευτὴν δ' ἔμαθεν οὐδεπώποτε.

quorum duo iterati sunt versus in f. Χρυσοχόος:

fr. 31 ἤδη σχεδόν τι πάντα σοι, πλὴν Κτησίου·

---

[1]) quod Kockius Ἀντερῶσα titulum corruptelam esse ex Πάνδροσος censet, non probo.

δείπνου γὰρ οὗτος, ὥς λέγουσιν οἱ σοφοί,
ἀρχήν, τελευτὴν δ' οὐκ ἐπίσταται μόνος.

Idem personae alicuius vitium diversis locis isdem fere exponitur verbis.

Denique quinque Alexidis exempla adfero: Fabulae Φαίδων ἢ Φαιδριάς[1]) sunt quinque versus,

fr. 247 ἀγορανομήσεις, ἂν θεοὶ θέλωσι, σύ,
ἵνα Καλλιμέδοντ' εἰς τοὔψον, εἰ φιλεῖς ἐμέ,
παύσῃς καταιγίζοντα δι' ὅλης ἡμέρας.
=||= ἔργον τυράννων, οὐκ ἀγορανόμων λέγεις.
μάχιμος γὰρ ἀνήρ, χρήσιμος δὲ τῇ πόλει,

quos eodem loco (VIII, 340 c) Athenaeus etiam fabulae Εἰς τὸ φρέαρ attribuit: τὰ αὐτὰ ἰαμβεῖα φέρεται κἂν τῇ ἐπιγραφομένῃ Εἰς τὸ φρέαρ (fr. 67).

Sed Alexis, qui pleraque iteravit, in his aliquoties nonnulla mutavit, ut docent exempla sequentia. In f. Φιλοῦσα et f. Ψευδόμενος duo versus — partim ad verbum — repetiti sunt:

fr. 254: ἀλλ' ἔγωγε τοῦ τὰ δέοντ' ἔχειν
τὰ περιττὰ μισῶ· τοῖς ὑπερβάλλουσι γὰρ
τέρψις μὲν οὐκ ἔνεστι, πολυτέλεια δέ.

fr. 259 τὰ περιττὰ μισῶ· τοῖς ὑπερβάλλουσι γὰρ
δαπάνη πρόσεστιν, ἡδονὴ δ' οὐδ' ἡτισοῦν.

pro verbo τέρψις substituitur eiusdem significationis ἡδονή, proinde δαπάνη pro πολυτέλεια. Etiam eorum, quae ab ipso facta redintegravit, vestigia delebat.

In comoedia Crateuas inscripta idem versus qui partim in Demetrio, partim in Asclepioclide reperiuntur. Illi sunt fr. 48 et fr. 110, 9—11

ἔπειτα νάρκην ἔλαβον, ἐνθυμούμενος

[1]) Etsi hic titulus est suspectus, nihil habemus, quod fragmentum non similis tituli fabulae tribuimus, sive Φαιδριάς comoediae (cfr. Breitenbach, de genere quodam titulorum comoediae Atticae 93/4), sive **Φαῖδρος** fabulae (Meineke I, 385).

ὅτι δεῖ γυναικὸς ἐπιφερούσης δακτύλους
ἁπαλοὺς ὑπ' ἀκάνθης μηδὲ ἓν τούτους[1]) παθεῖν,
hi fr. 24 οὕτως δ' ὀψοποιεῖν εὐφυῶς
περὶ τὴν Σικελίαν αὐτὸς ἔμαθον, ὥστε τοὺς
δειπνοῦντας εἰς τὰ βατάνι' ἐμβάλλειν ποιῶ
ἐνίοτε τοὺς ὀδόντας ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.
et fr. 110, 20—23
ταῦτ' οἰκονομήσω . . .
οὕτω, ποιῶ γὰρ τοὖψον αὐτός, ὥστε τοὺς
δειπνοῦντας εἰς τὰ λοπάδι' ἐμβάλλειν ποιῶ
ἐνίοτε τοὺς ὀδόντας ὑπὸ τῆς ἡδονῆς[2]).

Sed utrum poeta ex Crateua in alias fabulas versus transtulerit, an Crateuam composuerit ex pannulis de prioribus opibus depromptis, quis est, qui disceptet?

Praeterea huc pertinent tres versus ex Κνιδία
fr. 105 Διόδωρος οὑπίτριπτος ἐν ἔτεσιν δύο
σφαῖραν ἀπέδειξε τὴν πατρῴαν οὐσίαν·
οὕτως ἰταμῶς ἅπαντα κατεμασήσατο.
et ex f. Φαῖδρος, unus ad verbum iteratus, reliqui paulo mutati[3])
fr. 246, 2 Ἐπιχαρίδης ὁ μικρὸς ἐν πένθ' ἡμέραις
σφαῖραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν οὐσίαν.
οὕτω συνεστρόγγυλεν ἰταμῶς καὶ ταχύ.

Omnibus autem convenit, quae Bergkius p. 322 professus est: „saepissime mediae et recentioris comoediae ipse poeta, quae commodius aptiusve se dicere posse desperet, integra vel parum immutata repetit".

Sentenitas affines sed verbis diversis notatas invenimus apud Antiphanem:
in fr. 94 ὦ γῆρας ὡς ἅπασιν ἀνθρώποισιν εἶ
ποθεινόν, ὡς εὔδαιμον, εἶθ' ὅταν παρῇς.

---

[1]) τούτων pro τούτους legitur in fr. 110.

[2]) fr. 24 βατάνια et ἐμβαλεῖν — fr. 110 λοπάδια et ἐμβάλλειν.

[3]) In versu altero ἐποίησε pro ἀπέδειξε, in v. tertio συνεστρόγγυλεν pro κατεμασήσατο ordine quoque verborum mutato.

ἀχθηρόν, ὡς μοχθηρόν, εὖ λέγει τέ σε
οὐδείς, κακῶς δὲ πᾶς τις, ὃς σοφῶς λέγει

et fr. 238 ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα
οὐ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία,
οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτέ,
ἀνιώμεθ' . . .

In his cognoscas poetam verum esse Antiphanem. Hic in senectute alloquenda (fr. 94) latior est. Altero loco idem dicit non totidem verbis et insuper adicit versum: οὐ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία. Tamen de iteratione non dubitamus, si fragmentum Menandri 555 huic dispar composuimus: σκληρὸν ὁ χρόνος ὁ πολύς· ὦ γῆρας βαρύ,
ὡς οὐδὲν ἀγαθόν, δυσχερῆ δὲ πόλλ' ἔχεις
τοῖς ζῶσι καὶ λυπηρά. πάντες εἰς σὲ δὲ
ἐλθεῖν ὅμως εὐχόμεθα καὶ σπουδάζομεν.

Idemque probatur loco Plauti in Menaechmis v. 756 sqq.

„consitus sum | senectute . . .
ut aetas mala mers est . .
nam res plurumas pessumas, quom advenit, adfert“.

Antiphanes solus utroque loco dicit homines senectutem appetere, sed ab ea abhorrere, si adsit. Recte igitur Xenarchus, si eius verba in hunc poetam referenda essent, diceret poetas τὰ αὐτὰ μεταφέρειν ἄνω τε καὶ κάτω, sed non hic lamentaretur, cum optime et hoc loco et illo eadem sententia usus sit Antiphanes.

Idem optime ab Eubulo de Thebanis tam multa vescentibus, ut prope stercum sedeant necesse sit, et similiter et diverse dictum est ἐν Κέρκωψι (fr. 53) et ἐν Μυσοῖς (fr. 66):

fr. 53 μετὰ ταῦτα Θήβας ἦλθον οὗ τὴν νύχθ' ὅλην
τὴν θ' ἡμέραν δειπνοῦσι καὶ κοπρῶν' ἔχει
ἐπὶ ταῖς θύραις ἕκαστος .

fr. 66 σὺ μὲν τὸ Θήβης, ὡς λέγεις, πέδον λιπὼν

ἄνδρων ἀρίστων ἐσθίειν δι' ἡμέρας [1])
ὅλης τραχήλους καὶ κοπρῶνος πλησίον.

Tribus locis, quos Athenaeus VII, 300 b collegit, ὅτι ἤσθιον τὰς ἐγχέλεις μετὰ τεύτλων ἐντυλίξαντες Eubulus retractavit; poetice loquitur ἐν Ἠχοῖ (fr. 35):

νύμφα ἀπειρόγαμος τεύτλῳ περὶ σῶμα καλυπτὰ
λευκόχρως παρέσται — ἔγχελυς

ἐν Ἴωνι (fr. 37).
αἵ τε λιμνοσώματοι
Βοιώτιαι παρῆσαν ἐγχέλεις θεαὶ
τεῦτλ' ἀμπεχόμεναι

et simpliciter ex duobus [2]) praecipue ex hoc iterata verba verisimile est ἐν Μηδείᾳ (fr. 64)

τεῦτλ' ἀμπεχομένης παρθένου Βοιωτίας
Κωπᾴδος.

Amphis in fr. 22 dicit fere quae in fr. 26:

fr. 22 ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον
γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας

fr. 26 ὅστις ἀγοράζων ὄψον
ἐξὸν ἀπολαύειν ἰχθύων ἀληθινῶν
ῥαφανῖδας ἐπιθυμεῖ πρίασθαι, μαίνεται.

Ex his igitur apparet multa inesse iterata in media comoedia, cum inter pauca fragmenta tam multa redintegrata sint. Num poetae, ut Aristophanes in suis comoediis, maiores partes aliarum fabularum suarum repetiverint, ex iis, quae ad nos venerunt, cognosci non potest.

Ad novas comoedias componendas argumentis priorum fabularum suarum poetas usos esse suspicantur viri docti, ut Meinekius in Alexidis fabulis Ἑλένη, Ἑλένης ἁρπαγή, Ἑλένης μνηστῆρες, in eiusdem poetae Ἀποβάτῃ et Παγκρατιάστῃ, in Cratini minoris Γίγασι et Τίτασι et in aliis quibusdam, haud scio an recte. Sed Antiphanem hoc fecisse in fabulis

---

[1]) qui versus, ut iam commemorabatur, iterum legitur in
fr. 34 κτίζε Βοιωτῶν πόλιν.
ἀνδρῶν ἀρίστων ἐσθίειν δ' ἡμέρας

[2]) παρθένου repetitum ex 35 νύμφα ἀπειρόγαμος.

Ἄγροικος et Βουταλίων constat. Athenaeus duobus locis VII, 304 b et 313 b memorat Ἄγροικον ἢ Βουταλίωνα[1]). Non esse unam fabulam ut Λάκωνες ἢ Λήδα Eubuli et alias, nemo est, qui non intellegat; neque enim scribas fabulam „agricola vel rusticus". Athenaei locus 313 b hic est: Ἀντιφάνης δ' ἐν Ἀγροίκῳ ἢ Βουταλίωνι Ἑκάτης βρώματα καλεῖ μαινίδας λέγων οὕτως· fr. 68 . . . .

τοὺς γὰρ μεγάλους . . .
. . ταῦτα δ' ἐστὶν Ἑκάτης βρώματα,
ἅ φησιν οὗτος, μαινίδας καὶ τριγλίδας.

In libro VIII, 358 d legimus: . . ὁ παρὰ τῷ αὐτῷ ποιητῇ ἐν Βουταλίωνι . . sequuntur 15 versus, a versu 11 ad versum 15 τοὺς γὰρ μεγάλους . . . καὶ τριγλίδας, sed in v. 14

ταῦτα δ' ἐστὶν Ἑλένης βρώματα

et pergit Ath.: ἐν δὲ τῷ Ἀγροίκῳ Ἑκάτης βρώματα ἔφη τὰς μαινίδας εἶναι καὶ τριγλίδας. Itaque in Ἀγροίκῳ Antiphanes Ἑκάτης βρώματα, in Βουταλίωνι scripsit Ἑλένης βρώματα. Insuper ex eo concludimus poetam sripsisse hos 15 versus et in Ἀγροίκῳ et in Βουταλίωνι. Praeterea Athenaeus ipse dicit 358 d: ἐν Βουταλίωνι, ὅπερ δρᾶμα τῶν Ἀγροίκων ἐστὶν [ἑνὸς] διασκευή. Antiphanes igitur — et alios poetas hoc fecisse verisimile est — editionem instauratam fabulae iam actae fecit. Hanc effecit ita, ut sive maiores sive minores partes — cf. fr. 68 — uno interdum ut Ἑλένης pro Ἑκάτης vel paucis verbis mutatis ex illa fabula in novam transferret. Quin etiam conici potest opus prius nonnullis mutatis novoque nomine inscripto quasi novum ab eo iterum editum esse.

[1]) Βουταλίων nomine significatur homo stultus (Gimpel), Ἄγροικος apud comoediae poetas similem habet verbi vim (cfr. Ethic. Eudem. 3, 2 p. 1231 b 18).

§ 2.

Haud minus crebra sunt exempla, quibus inter se poetas suas fabulas compilasse — vel, si melius sonat, imitatos esse — perspicitur. Iterationis ad verbum exempla sunt haec: Athenaeus II, 43 f. Εὔβουλος εὑρετικούς φησι τὸ ὕδωρ ποιεῖν τοὺς πίνοντας αὐτὸ μόνον,

τὸν δ' οἶνον ἡμῶν τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν (fr. 135).

τὰ αὐτὰ δ' ἰαμβεῖα καὶ Ὠφελίων φησί (fr. 4). Utrique poetae haec verba tribuenda sunt.

Eubulus in fragmento (67) fabulae Νάννιον, quo agitur de meretricibus, quattuor versus pulchros (p. 54 allatos) finxit. Quibus verbis ita se delectasse videtur, ut in comoediae Παννυχίς fr. 84, quod et ipsum est de meretricibus ea repeteret. E quibus versum

γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπὶ κέρως τεταγμένας

apud Xenarchum quoque (fr. 4), illum ipsum poetam, qui queritur de poetis ὧν ἕκαστος μεταφέρει ταὐτὰ ἄνω τε καὶ κάτω, investigamus. Alterum hunc versum exscripsisse mihi est perspicuum, artificiosior enim est, quam ut uterque eum fecerit. Et Xenarchum eum mutuatum esse mihi constat. Facile ex versibus artificiosis unum excerpsit et suis inseruit, etsi versus, inter quos inseruit, non item sunt artis pleni. Sed vix quisquam nisi poeta clarus ad hunc versum alios addat, quales sunt Eubuli 67, 5—7.

Deinde quattuor versus et Antiphanis et Alexidis esse Athenaeus XV, 671 d refert (Alex. fr. 241); Antiphanis eclogam fr. 58, quam Eriphus pro suo vendidit, adfert III, 84 a; denique VI, 262 d adnotat ad Epicratis fragmentum τὰ τοῦ Ἀντιφάνους μετενεγκών, cuius versus 262 c attulerat. Sed de his omnibus suo loco mihi erit oratio. Antiphanem praeter omnes exscriptum a diversis comicis ex his evidens est.

Iam hic autem mihi liceat Eubuli et Alexidis fragmenta paria adferre. Athen. I, 25 f dicit: Εὔβουλος δέ φησιν·

fr. 125 ἄτοπον δὲ τὸν μὲν οἶνον εὐδοκιμεῖν ἀεὶ

παρὰ ταῖς ἑταίραις τὸν παλαιόν, ἄνδρα δὲ
μὴ τὸν παλαιόν, ἀλλὰ τὸν νεώτερον.

τὸ αὐτὸ δὲ καὶ Ἄλεξις (282) σχεδὸν ἀπαραλλάκτως τοῦ 'σφόδρα' μόνου κειμένου ἀντὶ τοῦ 'ἀεί'. Hanc sententiam ab Alexide surreptam esse, nemo est, qui non intellegat; dolemus, quod num in eiusdem tituli vel eiusdem argumenti fabula haec verba posita fuerint, eruere non possumus.

Quamquam a re proposita alienum est tamen mihi adferendum putavi, quia fortasse huic vel illi huc spectare videtur Ephippi esse fragmentum quoddam (3) Athenaeum testari IX, 370 c d, in eius libro II, 65 c idem fragmentum omissis tribus versibus Eubulo tribui. Communes igitur sunt octo versus. Sed haec verba Eubulo assignantur in epitoma, et recte Kockius censet: 'scriptori ipsi plus fidei habendum videtur, quam epitomes auctori'. Non utriusque hanc eclogam fuisse elucet ex his: Athenaeus in libri IX capite 9, quo agitur de brassica (κράμβη) tantum fragmentum non omisisset — sive versus attulisset ipsos sive ad Ephippi eclogam addidisset eosdem esse Eubuli versus — si omnino Eubuli fuisset.

Neque sunt in iteratis numeranda talia, quae et in antiqua et in media comoedia saepenumero inveniuntur, qualia sunt:

Antiph. 149	τοῦτον ἐγὼ κρίνω μετανιπτρίδα τῆς Ὑγιείας πίνειν
Nicostr. 3 et 19	μετανιπτρίδ' αὐτῷ τῆς ὑγιείας ἔγχεον
Philetaerus 1	ἐνέσεισε μεστὴν ἴσον ἴσῳ μετανιπτρίδα μεγάλην ὑπειπὼν τῆς Ὑγιείας τοὔνομα [1]).

Non fortuito uterque verbum μετανιπτρίς rarum pro simplici κύλιξ vel alio habet neque uterque coniunctum verbo ὑγίεια. Ex eo quod tam multi iisdem semper duobus vocabulis utuntur, cognoscimus nullam de iteratis quaestionem esse: Talia ritui bibendi firmo propria sunt. — Neque exemplo utar, quod saepius iterantur talia verba:

[1]) cfr. etiam Calliae fr. 6 (I, 695) et Theopompi 32, 9 ex antiqua comoedia.

Antiph. 68 οὐκ ἐπίσταμαι | χρηστῶς ἀγοράζειν· =||= φράζε δή.
Ephipp. 15 ἀλλ' ἀγόρασον εὐτελῶς. =||= φράζε δή ποτε.
Ephipp. 21 βούλει δραμὼν εἰς τὴν ἀγορὰν κᾆτ' ἀγοράσαι μοι . . .
=||= φράζε τί.
Nicostr. 6 τί οὖν ἀγοράζω; φράζε γάρ.

Haec enim sunt illa cottidiana, quibus omnes poetae utuntur. — Neque mihi certa est fides in sequentibus duobus exemplis. κεστρεὺς νῆστις vel νῆστις ἄνθρωπος, quasi sit κεστρεύς — ut Ath. VII, 307 d dicit ὅτι εἶδος κεστρέων οἱ νήστεις — persaepe poetae antiquae et mediae habent (Amips. 1, Archipp. 12, Theopomp. 13; Antiph. 138, Anaxandr. 34, Eubul. 68, Alex. 256 et alii). — Brassica dilui crapulam legimus apud Eubulum 127: γύναι | ῥάφανόν με νομίσασ' εἰς ἐμὲ σὺ τὴν κραιπάλην | μέλλεις ἀφεῖναι πᾶσαν

Anaxdr. 58 ἐὰν λούσησθε νῦν | ῥάφανόν τε πολλὴν ἐντράγητε, παύσεται | τὸ βάρος διασκεδᾷ τε τὸ προσὸν νῦν νέφος | ἐπὶ τοῦ μετώπου.

Amph. 37 . . φάρμακον μέθης | . . . τὸ προσπεσεῖν ἄφνω | λύπην τιν'. οὕτως ἐξελαύνει γὰρ σφόδρα | λῆρον, ὥστε τὰς ῥαφάνους οὕτω δοκεῖν.

Al. 286 . . νυνὶ κραιπαλᾷς . . . εἶτά σοι δότω | ῥάφανόν τις ἑφθήν.

Etiam nonnulla alia huc spectant, quae adferre longum est. Haec enim esse verba sententiasque vitae communis credibile est. Nos quidem exempli causa saepe dicimus: „er ist dürr, wie ein Hering“ et ut hoc ipso pisce nos, ita Graeci brassica crapulam diluere consueverunt. Haec igitur comici e sermone cottidiano, non ex fabulis aemulorum sumpserunt.

Sed ad rem redeamus. Quamquam multa mutata sunt, iterationis vestigia non omnino deleta sunt in his:

Eubul. 110 μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως· ὅ τι ἂν ᾖ
ὁσίας ἕνεκα, σηπίδι' ἢ τευθίδια,
πλεκτάνια μικρὰ πουλύποδος, νῆστίν τινα κτλ.

Nicostr. 6 τί οὖν ἀγοράζω; φράζε γάρ.
=||= μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως, δασύποδα,
ἐὰν περιτύχῃς, ἀγόρασον καὶ νηττία
ὁπόσα σὺ βούλει, καὶ κίχλας καὶ κοψίχους

ὀρνιθάριά τε τῶν ἀγρίων τούτων συχνά.
χάριεν γάρ.

Ephipp. 15 ἀλλ' ἀγόρασον εὐτελῶς·
ἅπαν γὰρ ἱκανόν ἐστι. ÷ φράζε δή ποτε.
÷ μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως, ὅ τι ἂν ᾖ,
ὁσίας ἕνεκ'. ἀρκεῖ τευθίδια, σηπίδια.
κἂν κάραβός τις ᾖ λαβεῖν, εἷς ἀρκέσει
. . . . ἐγχελύδια
Θήβηθεν ἐνίοτ' ἔρχεται· τούτων λαβέ.
. . . .
τοιαῦτα. δασύπους, ἄν τις εἰσέλθῃ, φέρε.

Ex his eclogis apparet ex tribus poetis unum hoc ex suo finxisse, reliquos hunc imitatos esse. Ephippi imitatio perspicitur ex eo quod Eubuli versus primi ab alterius

μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως ὅ τι ἂν ᾖ,
ὁσίας ἕνεκ'. ἀρκεῖ τευθίδια, σηπίδια

vix dissentiunt. Nempe mutavit quoqui imitator, haud ita scienter. Inseruit ἀρκεῖ, longum autem deinde sermonem insuper addidit. Etiam formae deminutivae exstant apud utrumque (contra cfr. Nicostr.), augetque Ephippus numerum earum verbo ἐγχελύδια addito. Eubulus omnia enumerat tribus, Ephippus sex versibus neque novi quicquam fert. Simul Ephippus Nicostratum imitatando consecutus esse videtur. Eubulus tantum enumerat cibos, verba finita non adicit. Nicostratus addit in enumerando ἐὰν περιτύχῃς, ἀγόρασον, ὁπόσα σὺ βούλει. Ephippus autem hoc satiari non potest; inserit ἀρκεῖ, statim sequitur (non bene!) ἀρκέσει, ἐγχελύδια ἔρχεται, τούτων λαβέ, εἴ τις εἰσέλθῃ. Nicostratus non tam aperte Eubulum secutus est. Ad verbum redintegravit solum μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως et hisce sane suspicionem excitavit; reliqua quasi velis obtendere conatur, quae ex Eubulo libaverit, et pro piscibus (σηπίδια, τευθίδια, πλεκτάνια πουλύποδος) carnem (νήττια, κίχλας, κοψίχους) personam suam ementem facit. Eubuli igitur enumerationem amplificavit Nicostratus, etsi caute imitabatur, Ephippus hanc imitationem crassiorem

fecit simulque praeter Eubuli Nicostrati quoque vestigia pressit.

Inter Eubuli et Alexidis fragmenta similitudinem aliquam esse novo exemplo monstrare possumus; sed hic certiora dicere possumus quam loco ante allato. Eubulus describit ignem, cuius aestu pisces assantur,

fr. 75 . . τευθὶς καὶ Φαληρικὴ κόρη
πηδᾷ, χορεύει, πῶλος ὡς ἀπὸ ζυγοῦ.
ῥιπὶς δ' ἐγείρει φύλακας Ἡφαίστου κύνας
. . . .
ὀσμὴ δὲ πρὸς μυκτῆρας . . . ᾄσσει.

Alexis ἐν Μιλησίοις de ὄψῳ loquitur in fr. 149.
Coquus dicit (v. 7): ἂν μὲν οὖν τύχῃ
ὁ ταῦτα (i. e. τοὔψον) μέλλων ἐσθίειν . . .
εἰς καιρὸν ἐλθών, ὠφέλησε τὴν τέχνην.
ἂν δ' ὑστερίζῃ . . .
13 ἀπεστέρησε τῆς τέχνης τὴν ἡδονήν.

Alter inserit:
εἰς τοὺς σοφιστὰς τὸν μάγειρον ἐγγράφω.

Et ille nulla annexione pergit:
ἑστήκαθ' ὑμεῖς, κάεται δέ μοι τὸ πῦρ.
ἤδη πυκνοὶ δ' ᾄττουσιν Ἡφαίστου κύνες
κούφως πρὸς αἴθραν.

Illius igitur in descriptione parodia — tragici vel lyrici poetae, 'quos comites deis deabusque iungunt, eos canes adpellare solent' (Iacobs. Add. Ath. 71) — locum habet, huius in fragmento non exspectamus. Alexis autem non tragicos vel lyricos respexit — neque enim is Hephaesti quoque canes casu scripsit, ut Eubulus, quem praeter ceteros tragicorum imitationibus gaudere Meinekius profitetur I, 356, — sed Eubuli institit vestigiis et eius versus 'σφόδρα mutans' in suam fabulam nulla necessitate, nisi quod ei placerent, inseruit. Verba Eubuli ῥιπὶς ἐγείρει κύνας — ὀσμὴ ᾄσσει contrahit Alexis in ᾄττουσι κύνες πρὸς αἴθραν.

Timocles ἐν Ἥρωσι (fr. 12) dicit (v. 3): Δημοσθένης
5 ὁ τοὺς καταπέλτας τάς τε λόγχας ἐσθίων,

μισῶν λόγους ἄνθρωπος . . .
. . . ἀλλ' Ἄρη βλέπων

et similiter Mnesimachus ἐν Φιλίππῳ (fr. 7): ἆρ' οἶσθα,
ὅτιὴ πρὸς ἄνδρας ἐστί σοι μαχητέον,
οἳ τὰ ξίφη δειπνοῦμεν ἠκονημένα
ὄψον δὲ δᾷδας ἡμμένας καταπίνομεν;
ἐντεῦθεν εὐθὺς ἐπιφέρει τραγήματα
ἡμῖν ὁ παῖς μετὰ δεῖπνον ἀκίδας Κρητικὰς κτλ.

Alterum ex altero hausisse suspicari possumus, cum tale argumentum (Eisenfresser) apud hos comicos solos exstet. Quamquam Mnesimachi descriptio longa et fatigans est — eius versus 6—10 non iam exscripsi — et imitationis vestigia prae se ferre videntur, tamen eum imitatorem putare non possumus, cum sextum decimum in catologo (Wilh. p. 123) ante Timoclem locum habeat. Immo, si quis imitatus est, Timocles imitator est.

Homines si ante quam biberent crapulam semper sequi crapulae gravedinem meditarentur, numquam modum in bibendo excederent Alexis dicit fr. 255:
εἰ τοῦ μεθύσκεσθαι πρότερον τὸ κραιπαλᾶν
παρεγίνεθ' ἡμῖν, οὐδ' ἂν εἷς οἶνόν ποτε
προσίετο πλείω τοῦ μετρίου· νυνὶ δὲ τὴν
τιμωρίαν οὐ προσδοκῶντες τῆς μέθης
ἥξειν προχείρως τοὺς ἀκράτους πίνομεν

et Clearchus 3: εἰ τοῖς μεθυσκομένοις ἑκάστης ἡμέρας
ἀλγεῖν συνέβαινε τὴν κεφαλὴν πρὸ τοῦ πιεῖν
τὸν ἄκρατον, ἡμῶν οὐδὲ εἷς ἔπινεν ἄν.
νυνὶ δὲ πρότερόν γε τοῦ πόνου τὴν ἡδονὴν
προλαμβάνοντες ὑστεροῦμεν τἀγαθοῦ.

Etiam ex his duabus eclogis alterum comicum alterius vestigiis institisse apparet. Fundamenta utriusque eadem sunt et ob id verba paria vel similia locis grandibus εἰ τοῦ μεθύσκεσθαι — εἰ τοῖς μεθυσκομένοις, οὐδὲ εἷς — οὐδὲ εἷς, νυνὶ δὲ — νυνὶ δέ. Fortasse etiam huc spectat, quod utraque ecloga est quinque versuum. Altera ex parte nonnulla ab imitatore

consilio mutata sunt: τοῖς μεθυσκομένοις ἀλγεῖν συνέβαινε τὴν κεφαλήν — τοῦ μεθύσκεσθαι πρότερον τὸ κραιπαλᾶν παρεγίνετο, οὐδὲ εἷς ἔπινεν ἂν — οὐδ' ἂν εἰς οἶνον προσίετο. Imitationis speciem praebent Clearchi[1]) versus: Supervacaneum est ἑκάστης ἡμέρας; τὸν ἄκρατον in Alexidis versu quinto bene positum est, in Clearchi fragmento πιεῖν in fine secundi, τὸν ἄκρατον in initio tertii versus locum non habet, cum suo sono enuntiatum sit necesse non sit; πιεῖν et ἔπινεν statim non bene sunt iterata; praeterea praeferendum est οὐδ' ἂν εἰς οἶνον προσίετο πλείω τοῦ μετρίου quam οὐδὲ εἷς ἔπινεν ἄν. Neque enim, si potaveris, sed si nimis biberis, crapulam habebis.

An non sequentia iterata esse dicamus, haud scio. Sotades longam enumerationem (fr. 1) eorum, quae ad cenam coquus paravit, finit subito verbis:

τί λοιπόν; οὐδέν· ἀλλὰ τοῦτ' ἔσθ' ἡ τέχνη
οὐκ ἐξ ἀπογραφῆς οὐδὲ δι' ὑπομνημάτων.

τέχνη μαγειρικὴ tractatur longo Dionysii fragmento (2). Inter quae bene locata sunt verba:

v. 27 μὴ πάντ' ἄκουε μηδὲ πάντα μάνθανε
τῶν βιβλίων, ὅσ' ἐστὶ καταγεγραμμένα.
30 οὐδ' ἔστιν εἰπεῖν περὶ μαγειρικῆς
33 αὐτὴ δ' ἑαυτῆς ἐστι δεσπότης.

Num haec vel illa exscripta sint, dubito; potissimum sane Sotadis verba haud ita bene confecta orta esse hac clariore Dionysii ecloga comparata conicias.

Complura fluxisse videntur ex aliorum comoediis in Aristophontis ludos. Eubuli fr. 116 fragmento Aristophontis quinto tam simile est, ut imitationem apertissimam adumbret. Maledicit Eubulus κακὸς

κακῶς ἀπόλοιθ' ὅστις γυναῖκα δεύτερος
ἔγημε· τὸν γὰρ πρῶτον οὐκ ἐρῶ κακῶς.
ὁ μὲν γὰρ ἦν ἄπειρος, οἶμαι, τοῦ κακοῦ
ὁ δ' οἷον ἦν γυνὴ κακὸν πεπυσμένος.

[1]) Firmatur haec sententia eo quod Clearchus in catalogo victorum Lenaeico (Wilh. p. 123) nonum post Alexim locum habet.

Aristophon eadem fere isdem verbis:

κακὸς κακῶς γένοιθ' ὁ γήμας δεύτερος
θνητῶν· ὁ μὲν γὰρ πρῶτος οὐδὲν ἠδίκει·
οὔπω γὰρ εἰδὼς οὗτος οἷον ἦν κακὸν
ἐλάμβανεν γυναῖχ', ὁ δ' ὕστερον λαβὼν
εἰς προὖπτον εἰδὼς αὑτὸν ἐνέβαλε κακόν.

Res in univérsum speciem iterationis prae se fert. Aristophontem ex Eubulo hausisse singulis ostendi potest: Ille scripsit in versu tertio οὔπω εἰδώς, in versu quinto idem εἰδώς, in versu et altero et tertio γάρ, in versu quarto ἐλάμβανεν et λαβών. Poeta bonus variare ac mutare solet. Eubulus consilio in singulis versibus semel verbum κακός posuisse videtur, ille non constanter hic illic eo vocabulo usus est.

Substantivum cum infinitivo coniunxit Aristophon in fr. 4 προςβαλεῖν πρὸς οἰκίαν δεῖ, κριός· ἀναβῆναί τι πρὸς κλιμάκιον . . . Καπανεύς, ὑπομένειν πληγάς. ἄκμων, κονδύλους πλάττειν δὲ Τελαμών, τοὺς καλοὺς πειρᾶν καπνός

et in fr. 10: ὕδωρ δὲ πίνειν βάτραχος, ἀπολαῦσαι θύμων
λαχάνων τε κάμπη, πρὸς τὸ μὴ λοῦσθαι ῥύπος κτλ.

apud Antiphanem eadem constructio in fr. 195:

τοῖς φίλοις
τοιουτοσί τίς εἰμι, τύπτεσθαι μύδρος
τύπτειν κεραυνός, ἐκτυφλοῦν τιν' ἀστραπή,
φέρειν τιν' ἄρας ἄνεμος, ἀποπνῖξαι βρόχος

et eodem modo ad hoc duo versus. Kockius ad versum Nubium 260 adnotat hanc constructionem apud alios scriptores raram esse, crebram apud comicos. Adfert ad Aristophanis locum λέγειν γενήσει τρῖμμα Teleclidis (19) exemplum κόγχη διελεῖν et praeterea hos Antiphanis et Aristophontis locos. Sed tam multa eiusmodi exempla collocata esse ab his solis novum est, non singula ut apud Aristophanem et Teleclidem. Itaque in hac re Aristophon imitatus esse videtur Antiphanem.

Deinde in fr. 9 Aristophontis

v. 14 ἐπεὶ παράθες αὐτοῖσιν ἰχθῦς ἢ κρέας
κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους,
ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις

iterata sunt verba κατεσθίειν vel προςκατεσθίειν τοὺς δακτύλους et in Alexidis fr. 172

v. 4 θαυμαστὸν ἐμὸν εὕρημα. πάνυ πολὺν δ' ἐγὼ
ἐὰν παραθῶ σοι, προσκατέδει τοὺς δακτύλους
σαυτῷ γε χαίρων.

Hoc κατεσθίειν τοὺς δακτύλους sermonis cottidiani fuisse, ut nostrum 'sich die Finger nach etwas lecken' elucet et ex exemplis antiquae comoediae Pherecr. 13

. . . ὁπόταν δ' (scil ἄγριοι)
ἤδη πεινῶσι σφόδρα
ὥσπερεὶ τοὺς πουλύποδας
. . . νύκτωρ περιτρώ-
γειν αὐτῶν τοὺς δακτύλους

et Hermippi 24 ῥύζων ἅπαντας ἀπέδομαι τοὺς δακτύλους. Hic autem utrumque fragmentum eandem rei condicionem nobis indicat (cfr. παράθες — ἐὰν παραθῶ)[1]). Itaque alter poeta, nescio uter[2]), alterius auctoritatem secutus est.

Sorbitio appellatur homo in Aristophontis fr. 4:

ἄν τις ἑστιᾷ, πάρειμι πρῶτος, ὥστ' ἤδη πάλαι
. . . ζωμὸς καλοῦμαι.

Item hominem nominat Anaxandrides fr. 34:

λιπαρὸς περιπατεῖ Δημοκλῆς, ζωμὸς κατωνόμασται,

---

[1]) Simillimus quoque est Plauti locus (Pseudol. 881 sqq.):

cenam . . . ita suavi suavitate condiam,
ut quisque . . . digitos praerod t suos.

[2]) ex hoc fragmento cognosci non potest; alia Alexidis et Aristophontis non exstant similia. Tabellae victorum nullam admittunt conclusionem.

verisimile eandem ob causam. Democles igitur parasitus vixit et a civibus ζωμός appellatus est. Aristophon autem hoc in suam parasiti personam fictam transtulit, et, quod Anaxandrides omittere potuerat, cum Democles spectantibus notus esset, ei adiciendum erat: quid hoc nomen significaret.

His igitur exemplis concludi potest: Permulti mediae comoediae poetae — omnes verisimile est, sed in reliquiarum exiguitate nequit intellegi — ex aliorum fabulis parvula exscripserunt et inseruerunt operibus alius tituli aliusque argumenti.

Nunc nobis est propositum, ut quaeramus, num ampliora quoque ad exemplum collegarum conformata a comicis ostendere possimus. Praecipue hoc de totis ludis diligenter ac prospere conquirere difficillimum est, quod pro titulis perpauca exstant fragmenta[1]). Sed in singulis explanabo, quae ex fragmentis titulisque cognosci possit.

In tanta fabularum multitudine comoediae mediae fabulas nonnullas esse, quae eodem nomine inscriptae sunt, luce clarius est; inter pauca antiquae quoque opera eiusdem inscriptionis complura nacti sumus. Sed mirum est, quod tam multi tituli iterantur — Antiphanis 54 ex 141, Anaxandridis 12 ex 41, Eubuli 20 ex 56, Alexidis 42 ex 138, Timoclis 11 ex 28. — Primo quaeramus, num recte putant Alexidem praeter ceteros hausisse ex aliis. Ex 138 Alexidis titulis servatis inveniuntur 22 pares et similes apud Antiphanem; sunt pares Ἀλείπτρια, Ἄντεια, Δίδυμοι, Ἐπιδαύριος, Ἐπίκληρος, Κιθαρῳδός, Κουρίς, Κυβευταί, Λαμπάς, Μίδων, Μίνως, Παράσιτος, Ποντικός, Πύραυνος, Στρατιώτης (Ant. Στρ. ἢ Τύχων), Ὕπνος, Φιλέταιρος, Φιλίσκος, similes

---

1) Sunt circa 1300 fragmenta omnium comoediae mediae poetarum, e quibus fere dimidium sunt singuli versus vel singula aut bina aut terna verba; sed venerunt ad nostram aetatem fere 625 tituli.

Antiphanis	Alexidis
Ἀδελφαί	Ἀδελφοί
Ἱππεῖς	Ἱππεύς
Λευκάδιος	Λευκαδία (ἢ Δραπέται)
Λήμνια	Λήμνιαι
Ὅμοιοι	Ὁμοία.

Non semper comoediam eodem titulo quo alia inscriptam ex hac pendere scimus hocque dici posse puto de fabulis Δίδυμοι, Ἱππεῖς (-εύς) Κουρίς, Ὅμοιοι (-οία), Παράσιτος, Στρατιώτης. Quarum nobis relicta sunt et Antiphanis et Alexidis complura et in his magna fragmenta, quae fere omnia Athenaeus excerpsit; eas igitur fabulas, quarum tam multa et tanta fragmenta in libros suos inseruit, Athenaeus ipse legit; neque earum ulla fuit alius διασκευή, cum nusquam Athenaeus huius mentionem faciat. Sed habemus etiam titulos, quos a duobus poetis fabulis inscriptos esse miramur, ut Ἄντεια, quam fabulam ab Iobatae filia Bellerophontis amore famosa nomen accepisse Meinekius (I, 322) putat[1]), Λευκάδιος, Μίδων[2]) Φιλίσκος[3]). Et recte nos suspicatos esse in uno quidem titulo argumentis docere possumus. Habemus testimonium Athenaei III, 127 b: λέξω . . . Ἀντιφάνους παρατιθέμενος ἐξ Ἀντείας τάδε· . . . τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο δρᾶμα φέρεται καὶ ὡς Ἀλέξιδος ἐν ὀλίγοις

---

[1]) Sed rectius hanc fabulam a meretrice quadam nomen accepisse Breitenbach p. 119 sqq. ostendisse mihi videtur.

[2]) Μίδων est nomen Atheniensis ceteris ignoti. Vertunt vocabulum vel 'Lachmann' (μειδάω) vel 'Woltmann' (μήδομαι). Hoc nomine subditicius etiam Platonis dialogus Μίδων ἢ ἱπποτρόφος inscriptus ferebatur teste Diogene Laert. III, 62, a quo Alexideum Μίδωνα fortasse diversum non fuisse Meinekius censet, neque alium fuisse eum, qui Antiphaneae fabulae titulum praebuerit. In hunc titulum — et fortasse idem argumentum — duos poetas incidisse suspectum est.

[3]) Breitenbach p. 54 sq. aut Philiscum comicum vel potius tragicum aut philosophum, Diogenis Cynici discipulum, hac comoedia illusum esse arbitratur aut utramque fabulam iis fortasse accenseri posse censet, quae a personis fictis titulum acceperunt. Quod si ita esset, suspicio nostra augeretur.

σφόδρα διαλλάτον. Haec Athenaeus tanta affirmavit constantia, ut de eius verbis dubitare non possimus. Hanc fabulam διασκευήν ab Alexide institutam esse constat. In transferendo pauca mutavit, sed quae mutavit, admodum.

Difficilius est disserere de iis nominibus, quibus etiam alii poetae atque Antiphanes et Alexis usi sunt: Ἀλείπτρια, Ἐπιδαύριος, Ἐπίκληρος, Κιθαρῳδός, Κυβευταί, Ποντικός, Ὕπνος, Φιλέταιρος. Ex fragmentis harum omnium, num iterata sint, nihil concludi potest. Διδύμους scripserunt praeter Antiphanem et Alexim etiam Anaxandrides, Aristophon, Xenarchus. Fragmenta aut non exstant, aut dissimilia sunt. Idem in fabulam Ἐπίκληρος cadit. — Sed inter haec duo quidem exempla sunt, quae quadrant ad ea, quae monstrare volumus. — Ad Ἀλείπτριαν Ath. III, 123 b adnotat: ἐν δ' Ἀλειπτρίᾳ Ἀντιφάνης· — φέρεται τὸ δρᾶμα καὶ ὡς Ἀλέξιδος. Kaibelius Realenzycl, P. W. I, p. 1469 ob id recte iudicavit: „Einzelne Stücke des Alexis sind Neubearbeitungen alter, so . . . die Ἀλείπτρια (ebenfalls von Antiphanes)." — Deinde Athenaeus XV, 671 d adfert quattuor versus his verbis: δυσχεράνας ἀνεβόησε τὰ ἐξ Ὕπνου Ἀλέξιδος (241)·

οὐδ' ἐν Τριβαλλοῖς ταῦτά γ' ἐστὶν ἔννομα
οὗ φασι τὸν θύοντα τοῖς κεκλημένοις
δείξαντ' ἰδεῖν τὸ δεῖπνον, εἰς τὴν αὔριον
πωλεῖν ἀδείπνοις ἃ παρέθηκ' αὐτοῖς ἰδεῖν.

τὰ αὐτὰ ἰαμβεῖα φέρεται καὶ παρὰ Ἀντιφάνει ἐν Ὕπνῳ [1]). Alio loco XIII, 572 b c, dicit (242): ὁ δὲ ὑμέτερος φιλοσοφομειρακίσκος τοιοῦτος οἷον Ἄλεξις ἢ Ἀντιφάνης ἐν Ὕπνῳ παράγει. Idem igitur versus cum in fabulis eiusdem tituli infuisse videantur, non iniuria censeas Alexidis Ὕπνον esse recensionem alteram Antiphaneae comoediae.

Alexidem ex Antiphane, non Antiphanem ex Alexide

---

[1]) Miror quod haec Kockius Antiphani non attribuit, quamquam huic abiudicari nequaquam possunt.

hausisse, hoc exemplo monstrari puto. Alexim sententiam Antiphanis fr. 295

λύπη μανίας ὁμότοιχος εἶναί μοι δοκεῖ

retractavisse mihi persuasum est in fr. 296

λύπη μανίας κοινωνίαν ἔχει τινά.

Non ex suo utrumque hausisse apparet ex his: verba idem significant 'maeror propinquus est vecordiae. Uno versu uterque poeta hanc sententiam collegit. Incipit versus uterque verbis λύπη μανίας. Alexim respexisse Antiphanis versum sequitur ex eo quod pro verbis poetice dictis ὁμότοιχος μανίας scripsit κοινωνίαν μανίας ἔχει τινά, quo ieiunius nihil cogitari potest.

Omnino Alexim Antiphanis auctoritatem diligenter secutum esse, si paria vel similia apud eos invenias, facile ex eo colliges, quod Antiphanes circa a. 334 mortuus, Alexis autem circa a. 370 demum natus est, hic quartum post illum in victorum catalogo locum habet, quamquam mature vicit. Nonnulla ut parasitum ante Antiphanem eum scripsisse concedo. Sed ille poetam adulescentem non exscripsit, qui primo fabulas dare potuit, cum illi mors appropinquaret.

Aliis quoque cum poetis Alexis communia habet. Sex fabularum inscriptiones pares vel affines sunt titulis Eubuli: Ἀγκυλίων, Κυβευταί, Μυλωθρίς (-ός), Παννυχὶς ἢ Ἔριθοι (Παννυχίς Eubuli), Κύκνος (Προσουσία ἢ Κ.), Τίτθαι. Fabulas nomine Κυβευταί et Τίτθαι etiam alii scripserunt. Num Alexis in his quidquam exscripserit — hunc enim imitatum esse, si quid simile in fragmentis invenitur, iam ex eo cognoscitur, quod Eubulus teste Suida floruit circa a. 376; in tabellis victorum duobus ante Antiphanem locum habet — affirmare non possum. In comoedia Κύκνος idem tractatum esse argumentum videtur, quod habuerint Λάκωνες ἢ Λήδα Eubuli, Τυνδαρέως Alexidis, Τυνδαρέως ἢ Λήδα Sophili. Quas omnes parodias fuisse tragoediarum verisimile est, quarum multae

his sub titulis exstabant; quod demit iterationis suspicionem. Μυλωθρός vel Μυλωθρίς titulos legimus apud Eubulum et Alexidem solos; sed scripsit de pistoribus Harpocration: ἐστὶ δὲ καὶ παρὰ τοῖς κωμικοῖς πολὺ τοὔνομα. Soli igitur suspecti sunt Ἀγκυλίων et Παννυχὶς ἢ Ἔριθοι. Mira huius est compositio; Παννυχίς nomen meretricis videtur esse, Ἔριθοι sunt carminatores. Insuper spectandum est etiam Amphidis fabulam Ἔριθοι exstare, inter quem et Alexim nonnulla intercedunt similia.

Iam antea ex Eubulo singula Alexim cepisse vidimus. Eum etiam tota argumenta illius iteravisse praecipue ex titulis repetitis conicere, monstrare non possumus.

Denique indicia iteratorum sunt etiam apud Amphidem et Alexim. Magnus nominum numerus idem est: ex 27 titulis fabularum Amphidearum 17 etiam alii poetae habent, 12 unus Alexis. Sed minime adiuvant fragmenta, ut etiam in his certi nihil ponere possimus, nonnisi unum fragmentum utriusque spectat similem ad causam. Ambo poetae queruntur de cetariis; uterque eos comparat imperatoribus et verborum ordinem eundem habet:

Amphis 30 πρὸς τοὺς στρατηγοὺς ῥᾷόν ἐστιν μυρίαις
μοίραις προσελθόντ' ἀξιωθῆναι λόγου
λαβεῖν τ' ἀπόκρισιν, ὧν ἂν ἀπερωτᾷ τις, ἢ
πρὸς τοὺς καταράτους ἰχθυοπώλας ἐν ἀγορᾷ
κτλ.

Alexis 16 τοὺς μὲν στρατηγοὺς τὰς ὀφρῦς ἐπὰν ἴδω
ἀνεσπακότας, δεινὸν μὲν ἡγοῦμαι ποιεῖν.
. . . .
τοὺς δ' ἰχθυοπώλας τοὺς κάκιστ' ἀπολουμένους[1])
ἐπὰν ἴδω κάτω βλέποντας, τὰς δ' ὀφρῦς
ἔχοντας ἐπάνω τῆς κορυφῆς, ἀποπνίγομαι.
κτλ.

[1]) Non magni momenti est apud Antiphanem quoque legi versum fr. 161, 5 τοῖς ἰχθυοπώλαις τοῖς κακῶς ἀπολουμένοις.
qui poeta etim in fr. 159 cetariis maledicit.

Initio versuum leguntur verba:

πρὸς τοὺς στρατηγοὺς — τοὺς μὲν στρατηγοὺς
πρὸς τοὺς ἰχθυοπώλας — τοὺς δ' ἰχθυοπώλας.

Pro verbo κατάρατος invenis apud Alexidem τοὺς κάκιστ' ἀπολουμένους, pro ἔκυψεν scriptum videmus κάτω βλέποντας. In versibus sequentibus uterque eum, qui emere vult, dicentem facit:

Amph. οὓς ἂν ἐρωτήσῃ τις — Al. ἐὰν δ' ἐρωτήσῃς

et illos similiter respondentes:

„ʽττάρων | ʽβολῶν γένοιτ' ἄν". — „ἡ δὲ κέστρα"; „ʽκτὼ ʽβολῶν".

„πόσου τοὺς κεστρέας | πωλεῖς δύ' ὄντας;" „δέκ' ὀβολῶν" φησιν. „βαρύ. | ὀκτὼ λάβοις ἄν." „εἴπερ ὠνεῖ τὸν ἕτερον."

et finit uterque uno versu ea, quae antea dixerat, concipiens:

Amph. τοιαῦτ' ἀκοῦσαι δεῖ τὸν ὀψωνοῦντά τι.
Al. ταῦτ' οὐχὶ πικρότερ' ἐστὶν αὐτῆς τῆς χολῆς;

Quas igitur eclogas tam similes esse concedes, ut imitationis vestigia nequaquam denegari possint. Sed suo modo uterque argumentum bene pergit, ut non cognoscas, uter imitatus sit. Itaque cum reliqua fragmenta nihil utile praebeant, nihil aliud efficere possumus nisi hoc: De Alexide et Amphide ita diiudicamus, ut aut alterum ex altero exscripsisse aut — utrumque ex tertio dicamus.

Inter se enim connexas esse fabulas Alexidis et Amphidis ex iis, quae disserui, cognovimus. Neque parvi aestimandum est inter fabulas huius sex esse, quae iisdem titulis ac Antiphanis inscriptae sunt: Ἀθάμας, Ἀλείπτρια, Κουρίς, Κυβευταί, Σαπφώ, Φιλέταιρος, e quibus vicissim quattuor apud Alexidem quoque inveniuntur. Alexidem Antiphani non pauca debere nunc scimus. Nonne idem cadit in Amphidem? — Eadem dici debent de Timocle poeta, cuius ex 28 titulis 11 communes sunt cum inscriptionibus aliorum, e quibus 7 cum Antiphanis, Amphidis, Alexidis, sed nullus ex. c. Anaxandridis et Eubuli.

Convertimus nunc ad ea, quae comici nonnulli satis obscuri non discrepantes ab Antiphanis ratione composuerunt quibusque evidens fit, quam impudenter hi tertii ordinis poetae aemulos magnos suos diripuerint. Ex Antiphanis fabula Βοιωτίς hos versus (fr. 58)

καὶ περὶ μὲν ὄψου γ' ἠλίθιον τὸ καὶ λέγειν
ὥσπερ πρὸς ἀπλήστους. ἀλλὰ ταυτὶ λάμβανε,
πάρθενε, τὰ μῆλα. — καλά γε. — καλὰ δῆτ', ὦ θεοί.
νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.
— παρ' Ἑσπερίδων, ᾤμην σε, νὴ τὸν Φώσφορον.
φήσειν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι. τρία
μόνον ἐστίν. — ὀλίγον τὸ καλόν ἐστι πανταχοῦ
καὶ τίμιον.

in Meliboeam transtulit Eriphus teste Athenaeo III, 84b Ἔριφος δ' ἐν Μελιβοίᾳ αὐτὰ ταῦτα τὰ ἰαμβεῖα προθεὶς ὡς ἴδια [τὰ τοῦ Ἀντιφάνους] ἐπιφέρει (fr. 2)

παρ' Ἑσπερίδων ᾤμην σε, νὴ τὴν Ἄρτεμιν.
φήσειν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι; τρία
μόνον ἐστίν. — ὀλίγον τὸ καλόν ἐστι πανταχοῦ
καὶ τίμιον. — τούτων μὲν ὀβολόν, εἰ πολύ,
τίθημι· λογιοῦμαι γάρ. — αὗται δὲ ῥόαι.
— ὡς εὐγενεῖς. — τὴν γὰρ Ἀφροδίτην ἐν Κύπρῳ
δένδρον φυτεῦσαι τοῦτό φασιν· ἓν μόνον.

In utraque fabula erant personae duae, et is, qui mala tradit, et quae accipit puella (πάρθενε), si sequimur lectionem quam proponit Kaibelius. Eriphus hanc scenam amplificat, primum eodem modo iisdemque verbis de malis locutus, deinde sex versibus adiectis de ῥόαις (malis Punicis) verba faciens. In his is, qui mala vendit, iterum ea abunde collaudat (ἀφιγμένον παρὰ τοῦ βασιλέως — τὴν Ἀφροδίτην δένδρον φυτεῦσαι τοῦτο ἓν μόνον). Itaque si in hac scenae parte eaedem personae easdem agunt partes et eadem verba faciunt, necesse est etiam ea, quae antecedunt et quae sequuntur, in utraque comoedia aequalia vel similia fuerint. Eriphus

itaque non solum haec verba, sed totam scenam ex Antiphanis fabula Βοιωτίς (fortasse nonnihil mutatam) cepisse mihi videtur. Utrum Eriphus plura ex illius opere in suum transtulerit, an Meliboea fuerit διασκευή Boeotiae, ex hoc fragmento colligi non potest.

Sed certius iudicare possumus de alia Antiphanis comoedia retractata: Λύσπρατος est Antiphanis et Epicratis ludi nomen. Illius est fr. 89 ὁρᾶν τε κείμενα
ἀμήτας ἡμιβρῶτας ὀρνίθειά τε
ὧν οὐδὲ λειφθέντων θέμις δούλῳ φαγεῖν
ὥς φασιν αἱ γυναῖκες.

Maior est servata Epicratis ecloga 5: τί γὰρ
ἔχθιον ἢ 'παῖ παῖ' καλεῖσθαι παρὰ πότον
καὶ ταῦτ' ἀγενείῳ μειρακυλλίῳ τινί,
ἢ τὴν ἀμίδα φέρειν, ὁρᾶν τε κείμενα
ἀμήτας ἡμιβρῶτας ὀρνίθειά τε
ὧν οὐδὲ λειφθέντων θέμις δούλῳ φαγεῖν
ὥς φασιν αἱ γυναῖκες. ὃ δὲ χολᾶν ποιεῖ,
γάστριν καλοῦσι καὶ λάμυρον, ὃς ἂν φάγῃ
ἡμῶν τι τούτων.

His duobus versibus ὃ δὲ χολᾶν κτλ. Meinekius auxit etiam fragmentum Antiphanis quia Antiatticista 116, 8 adnotavit χολᾶν· ὀργίζεσθαι· Ἀντιφάνης. Cum in illo Antiphanis fragmento verbum χολᾶν inveniatur, Antiatticistam eum Antiphanis locum inspexisse putari potest, i. e. vocabulum χολᾶν ibi scriptum; is igitur locus loco Epicratis similis erat. Sane admodum incertum est, num isdem quoque verbis uterque usus sit. Quin etiam ex eo, quod Athenaeus in eadem paragrapho (VI, 262 c) Antiphanis tres solum versus, Epicratis versus etiam antecedentes et sequentes adfert, concludi potest Antiphanem eos versus non scripsisse [1]).

[1]) Firmatur ea sententia iis, quae scripta sunt in epitomae codice C; μετήνεγκε δὲ τὰ ἰαμβεῖα ταῦτα ἐξ ἀντιφάνους ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν. Librarius enim C, quae in margine scripta fuerunt, partim inter Athenaei verba recepit (Kaibelii ad Ath. libros praefat. p. XVI).

Versus antecedentes sequentesque affines fuisse versibus Epicratis ut censeamus necesse est. Ex Antiphanis fragmento efficitur servum iratum de sorte sua queri; ad Epicratis fragmentum Athenaeus ipse addit: ἀγανακτοῦντα ποιεῖ τινα τῶν οἰκετῶν. Itaque hic quoque tota scena recepta a posteriore fuisse videtur. Praeterea tituli non sunt diversi, sed pares, et spectat Δύσπρατος in servum propter nequitiam non facile vendibilem; fragmento autem iterato de tali servo agitur iisdem verbis. Sed cum hoc fragmentum in singulis quoque repetitum sit — iteravit Epicrates etiam verba ὥς φασιν αἱ γυναῖκες — eo nascitur non hunc solum locum tam accurate, sed etiam alios eum furatum esse. Nam fragmentum iteratum est, quod ad titulum ipsum pertinet, in comoedia igitur magni erat momenti. Itaque consentio cum Meinekio, qui I, 321 dicit: 'Quae quin ad iteratam Antiphaneae fabulae editionem ab Epicrate factam spectent, vix dubitaverim.'

§ 3.

Nulla fere communia sunt mediae cum antiqua comoedia. Eubulus 26 ut Plato 30 Euripidem irridet propter sigma litteram nonnullis locis cumulatam; uterque autem poeta hac irrisione uti potuit. — Eubulus 60 et Philyllius 10 demonstrant tibicinem verberari, si quid coquus peccet. Sed verbis ab illo additis ὥς φασιν explicatur illa proverbii loco posita esse; saepissime enim homines innocentes poenas dare earum rerum, quae alii perfecerunt. Suspicionem solum aliquam movet titulus rarus Κέρκωπες apud Eubulum et Hermippum solos inventus.

Sed ad Alexidem antiqua quoque comoedia pertinet. Primo fr. 237 νῦν δ' ἵνα μὴ παντελῶς Βοιώτιοι
φαίνησθ' εἶναι τοῖς διασύρειν ὑμᾶς εἰθισμένοις,
ὡς ἀκίνητοι νῦν εἶναι βοᾶν καὶ πονεῖν μόνον
καὶ δειπνεῖν ἐπιστάμενοι διὰ τέλους τὴν νύχθ' ὅλην
γυμνοῦθ' αὑτοὺς θᾶττον ἅπαντες.

admonet de Aristophane. Choro enim, ut ex metro Eupolideo perspicitur, Alexis hic usus est; choreutae inter se adhortantur, ut pallium deponant, quo ad saltandum habiliores sint. Aristophaneae igitur rationis chorum Alexis in Trophonio finxit et eum vestimenta exuere facit, ut Aristophanes in Acharnensibus 627

ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν

idemque significant Pacis versus 729. 30

. . . ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις φῶμεν σώζειν [1])

et Lysistratae, ubi non tam clare apparet, versus 615

ἀλλ' ἐπαποδυώμεθ' ὦνδρες τουτῳὶ τῷ πράγματι.

Etiam valde suspectae sunt fabulae eius Ἀρχίλοχος et Κλεοβουλίνη, quia Cratinus solus titulis propriis Ἀρχίλοχοι et Κλεοβουλῖναι ludos duos inscripsit, ita ut Meinekius Alexim eas imitatum esse sibi persuaderet.

Denique inter nomina Alexidis Amphidisque paria Γυναικοκρατία est et illius ex comoedia unum fragmentum relictum, quo similitudinem magnam intercedere inter hanc et Aristophanis fabulam, qua de mulierum imperio agitur, Ecclesiazusas, in aperto est. In hoc

fr. 41 ἐνταῦθα περὶ τὴν ἐσχάτην δεῖ κερκίδα
ὑμᾶς καθιζούσας θεωρεῖν ὡς ξένας

mulier suadet, ut feminae, si in theatrum venerint, in cuneo supremo considerent. Ut in contione feminae in Ecclesiazusis, ita in theatro in Γυναικοκρατίᾳ imperium sibi parare volunt. Considunt hic et illic

— Eccl. 297 ὅπως δὲ τὸ σύμβολον
λαβόντες ἔπειτα πλη-
σίοι καθεδούμεθ' ὡς
ἂν χειροτονῶμεν
ἅπανθ' ὁπόσ' ἂν δέῃ
τὰς ἡμετέρας φίλας, —

[1]) ut cognoscimus ex scholio γυμνὸν γὰρ ποιοῦσι τὸν χορὸν οἱ κωμικοὶ ἀεὶ ἵνα ὀρχῆται.

ut maior sibi sit fiducia ac robur. Dolo in Ecclesiazusis victoriam reportare se parant et idcirco barbas ori praeligant. Aequo modo ὡς ξέναι in Gynaecocratia mulieres apparere conantur. — Amphidis fabulam hoc titulo inscriptam sive Aristophanis sive Alexidis sive utriusque similem ex iis, quae antea de hac re disputavi, manifestum est, etsi argumentis affirmari non potest.

Hic quoque breviter complectar, quae monstravi. Floruit in media comoedia iteratio. Ut in antiqua praecipue sententiae, hic verba versusque ad verbum repetebantur: horum poetae iteraverunt, illius imitati sunt. Mediae poetis crimini datur — ut vidimus iure — dictiones et versiculos aliorum impudenter transtulisse. Antiphanes inprimis et Eubulus a multis exscripti sunt. Alexis praeter ceteros, deinde Aristophon aliique (fortasse Amphis) iteratores sunt. Quae culpa eo minuitur, quod propter innumerabilia opera non solum occasio, sed etiam necessitas oblata erat, fabulas quae iam datae erant, surripere atque iterum edere.

Liceat mihi h. l. gratias agere quam maximas viro doctissimo Alfredo Koerte, qui in hac dissertatione perficienda benignissime me adiuvit.

Index.

A. Poetarum.

B. Fabularum.

Lebenslauf.

Ich, Siegfried Kann, bin geboren zu Mainzlar, Kreis Giessen, am 4. Juni 1886, als Sohn des Weinhändlers Zadock Kann und seiner Ehefrau Friederike, geb. Reis, zu Giessen, gehöre dem israelitischen Bekenntnis an. Ich besuchte die Vorschule und das Gymnasium zu Giessen von Ostern 1892 bis 19. Febr. 1904. Mit dem Reifezeugnis entlassen, besuchte ich 3 Semester die Landesuniversität, studierte 1 auf der Universität in Berlin und 4 wieder auf der Landesuniversität. Am 1. Februar 1908 wurde ich zum Staatsexamen zugelassen und bestand es am 28. Juli 1908. Seit September 1908 bin ich als Lehramtsreferendar am Gymnasium zu Giessen beschäftigt.